NIZOLIODIDASCALVS,

Siue, Monitor Ciceronianorum Nizolianorum,

Dialogus Henrici Stephani.

Auctoris damnati, sed hoc opus permissum est.

Horatius lectori,

Ridebit Monitor non exauditus, vt ille
Qui malè parentem in rupes protrusit asellum.



Excudebat Henricus Stephanus,
Anno M. D. LXXVIII.



HENR. STEPHANVS HVBERTO LANGVETO, VIRO CLARISS.

S. D.

NON DVBITO quin ſimulac librum hunc conſpexeris, vir clariſſime, recordaturus ſis, me ante annos aliquot Viennæ Auſtriæ tecum deambulantem, in eum ſermonem veniſſe vt dicerem eſſe quoſdam velut minorũ gentium Ciceronianos, qui ſuam Ciceronianitatẽ (vtar enim vel illis inuitis hoc vocabulo, quum ipſe Cicero Appietatẽ & Lentulitatẽ dixerit) non ex ipſis fontibus, ſed ex riuulis duntaxat aut etiam ex lacunis quas deriuata ex illis aqua efficit, (id eſt, nõ ex ipſius Ciceronis libris ſed ex Nizolii & quorundam aliorum obſeruationibus) haurirẽt. Nihil minus tamen tum temporis quàm de ſcribendo Nizoliodidaſcalo, ſiue Monitore Ciceronianorum Nizolianorum, cogitabam: ſed quum mihi non ita pridem

quædam talium Ciceronianorum ſcripta riſum mouiſſent,& mihi viſus eſſem deprehendiſſe quid illorum Ciceronianitatem planè ridiculam redderet,faciẽdum putaui vt illos de eo quod deprehendiſſem monerem. Hoc enim officium, monſtrandæ errantibus viæ, detrectare, non minus religio mihi erat, quàm illi religioni habent à via quã Nizolius monſtrat,vel latum vnguem diſcedere. Quam tamen illorum cautionem, non religionem, ſed ſuperſtitionẽ,& quidem vaniſsimam, vocandam eſſe fatebuntur,vt ſpero, qui Dialogum hunc attentè legerint. Quid dico ſuperſtitionem vaniſsimam? meritò certè periculoſiſsimam addiderim, quũ quamplurima huius rei exempla Dialogus hic ſuppeditet.

Tantum abeſt autem vt veri Ciceroniani offendi hoc libro debeant, vt contrà gratiam ab illis eum inire æquũ ſit, quòd oſtendat quãtum inter illos velut minorum gentium(vt antea dixi)Ciceronianos,& ipſos,qui maiorum gẽtium

Ciceroniani eadẽ appellari ratione poſſunt, ſit diſcriminis.

Quòd ſi potuiſſem illos ita monere vt nulla Nizolii mentio fieret, longè id gratiſsimum mihi fuiſſet: ſed nihilo magis fieri hoc potuiſſet, quàm moneri quiſpiam de adhibẽda in poſterum aduerſus aliquem morbum cautione, ſine vlla eius rei quæ morbum illum ei peperiſſet mentione. Induco igitur quendam Marcũ, qui quanuis ita ſit Nizolianus vt pro libro Nizolii tanquã pro aris & focis pugnare paratus ſit, tandem tamen obmuteſcere cogitur, multis Nizolianæ ſiue inſcitiæ ſiue ſocordiæ manifeſtiſsimis exemplis obrutus. Quis enim aut inſcitiæ aut ſocordiæ non accuſet illum, qui pleraſq; voces pro ſynonymis affert quæ nihil minus ſunt quàm ſynonymæ? pleraſque tanquã cõtrarias proponit quæ quiduis potius quàm cõtrariæ ſunt? illum, inquam, quem ſi ſequamur, fatendum erit Ciceronem compoſita verba cum ſimplicibus, paſsiuã interdum ſignificationẽ cum actiua, aut

vicissim, tam in nominibus quàm verbis, confundere: negare denique nō poterimus, Ciceronem, sine vllo delectu, vel hoc, vel istud, vel illud vocabulum seu loquendi genus vsurparę: nec vlla iam erūt adiectiua quæ nonnullis tantùm substantiuis iuncta certā quandam significationē apud eum habeant. Exēpli gratia, quoniā Insanas substructiones Cicero dixit pro magnis, quiduis quod magnum sit, Insanum vocare Ciceronianis licebit, autore Nizolio. Ita Insanus homo dicetur qui erit magnus, Insana mulier, quæ erit magna: Insanus equus, asinus, canis, id est magnus: Insanus liber, Insana domus, Insana vrbs. Quicquid denique ad magnitudinem eam peruenerit ob quam dici magnum in suo genere possit, illam Insani appellationē effugere non poterit. Neq; tamen est cur ii qui magni sunt Nizolio de appellatione illa succenseant: quoniā eius acerbitatem alius cuiusdam dulcedine compensat, quum eos qui magni sunt, sicut Insanos, ita etiam Bonos ap-

pellari posse existimat. Hæc enim sunt ipsissima eius verba, MAGNVS, Amplus, Grandis, Non mediocris, Non paruus, Vberior, Bonus, Latè patens, Immanis, Infinitus, Vastus, Insanus, Longè latéque patens. Nimirum quòd Bonam partem pro magna legisset apud Ciceronē. Nec minus (sat scio) hæc mirabēris synonyma, ATTENTE, Silentio, Attento animo, Benignè, Diligenter, Clementer. Sed alia quæ multo maiorem tibi mouere admirationem vel potius risum possint, in ipso Dialogo videnda relinquam.

Examinatur autem in eo illa etiam velut Appendix ad Obseruationes, in qua pro barbaris vocabulis, aut Latinis quidem (vt ipse ait) sed non Ciceronianis, alia substituit. Examinātur, inquam, in illa Appendice multa Nizoliana quæ vel Heraclito risum cōcitarent. ex quibus ænigmatica etiam nonnulla esse & OEdipum quempiam requirere videri queant. Quale est hoc, pro Græca voce Pleonasmos dicēdum esse Occultæ in-

ſidiæ,Ciceronianè quidem certè loqui volenti. Inquiritur etiã in id illius iudiciũ, quo quæcunque vocabula aut loquẽdi genera extãt in ſcriptis iis quæ Ciceronianis ſunt inſerta(nẽ exceptis quidẽ vel illis veterũ poetarũ verſibus qui multa obſoleta habent, vel ineptiſsimis illis & à ſermonis Latini puritate remotiſsimis declamationibus)nõ ſolùm admittit,ſed in eodẽ quo Ciceroniana gradu collocat, paríq; honore dignatur: at quædã quibus Terẽtius, Salluſtius, Cæſar, Virgilius, Horatius, vſi ſunt, reiicit. Quid igitur? éſtne inutilis tãtus Nizolij labor? Illis quidẽ qui toti ab illiꝰ iudicio pendẽt(ex quibus ſunt mei illi minorũ gentiũ Ciceroniani)magis periculoſum quàm vtilẽ eſſe,at illos qui de illius iudicio ferre iudiciũ poſſunt,quædam bona multis malis permixta inuenire dico. Erit tamen tuæ(quæ plurimis etiã principibus perſpecta eſt) prudentiæ,rationes meas,priuſquã quicquã pronunties,ponderare. Quare rogo vt libeat quãprimum quicquid eſſe poterit in legendo hoc opuſculo tædii deuorare. Vale.



NIZOLIODIDASCALOS, SIVE MONITOR CICEronianorum,

Dialogus Henr. Stephani.

PERSONAE DIALOGI,

FABIVS, MARCVS, CAMILLVS.

QVò *te, Marce, pedes? an (quò uia ducit) ad Aulum?* MAR. Ad illum certè. FAB. Quem tu librum (obsecro) ex eius bibliopolio expetis? M. Nizolii Obseruationes in Ciceronem. F. Quem ad vsum? M. Hui: quasi non sit vel pueris notissimus Nizolii Obseruationum vsus. F. Notissimũ igitur est pueris, quod mihi, quanuis-*iam firmata uirum me fecerit ætas*, est ignotissimum. M. Tu verò Camille idémne te ignorare dicis? CAM. Quis esse Nizolii vsus vulgò existimetur, scio: & condum promum Ciceronianæ Latinitatis haberi non ignoro: sed an eũ suis lectoribus vsum præstet quẽ expectant, id verò nihilo magis noui quàm Fabius. F. At ego (nequid iam

difsimulem) ſat ſcio, ex eius lectione fructum illum non poſſe percipi quem expectant. M. Quid audio? F. Quod verum eſt. M. Quid? vllúſne eſt liber, ei qui Ciceronianus cupit euadere, magis fructuoſus (ne dicã neceſſarius) quàm Nizolius? F. Ipſum ſaltem Ciceronem excipere debueras. M. Excepiſſem, ſi aliud apud Nizolium quàm Ciceronem ipſum haberemus. F. Apage talem Ciceronem. M. Apage Ciceronem, inquis? F. Non equidem: ſed talem Ciceronẽ. Illũ enim ipſum quem ibi quęrendũ putas Ciceronẽ magna afficis iniuria, dũ Nizolii exiſtimationẽ vis tueri. M. Quid ita? F. Quia, ſi verum eſt quod dicis, vnum idémque eſſe Ciceronem & Nizolium, inepta eſſe apud Ciceronem multa, quod ad linguam Latinam attinet, dicendum erit: quoniã multa eiuſmodi habet Nizolius. M. Bona verba, quæſo. F. Ego à diſsimulatione tam ſum alienus quàm qui maximè: Τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην σκάφην λέγω, vt comici Græci vtar prouerbio. M. Itáne apud Nizolium multa eſſe inepta ais? FA. Aio. ſi tamen aliud vocabulum Latinitas ſuggereret, quo rem illam κατ' εὐφημισμὸν declarare poſſem, eo vterer: ſed Latini vnum iſtud habẽt quo eam rem ſignificent: Græci autem ne vnum quidem, ſi Ciceroni ipſi credimus. MAR. At vide

Fabi, ne ipſe potius ineptus (quod pace tua dixerim) deprehendaris, dum inepta nõnulla in Nizolio deprehẽdere tibi videris. FA. Imò vide Marce (qui Nizolium, aliquem virum principem fingere videris, cuius ego maieſtatem læſerim) ne, ſi bilem mihi mouere pergas, aliquid multo grauius de tuo Nizolio, vel potius, pro vno verbo multa eáque longè aſperiora audias. MAR. Non dubito quin tibi facile futurum ſit multa illi obiicere: verùm nobis viciſsim ea diluere, non difficile futurum ſpero. CAM. Ne dicas Nobis, ſed tantùm Mihi. ego enim tibi meam hanc ad rem operã non polliceor: præſertim quum ipſe quoque cùm alia tum verò iudicium in Nizolio deſiderem. MAR. Atqui ne Hercules quidem contra duos. FA. At ſi vnus ego Nizolium accuſaſſem, tum verò dixiſſes, Vnus vir, nullus vir. M. Fortaſſe. Sed quænam ambo illi obiiciatis ſcire cupio, etiamſi me illis refellendis parem minimè futurum ſperem. Tu Fabi eris πρωταγωνιστής: tuũ Camille erit δευτεραγωνιστεῖν. CAM. Imò verò Fabio non ſolùm πρωταγωνιστοῦ, ſed etiã δευτεραγωνιστοῦ & τριταγωνιστοῦ partes relinquo. F. Nimiũ graue onus mihi imponis: ideóque non totum ſuſcipiam, ne illi ſuccumbam. Nónne verſuum Propertianorum recordaris?

Turpe est quod nequeas capiti committere pōdus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.

CAM. Verùm haud minus turpe fuerit talē δευτεραγωνιστὴν tali πρωταγωνιστῇ succedere. MAR. Fatetur interim vterque vestrûm, accusationē Nizolii, rem esse difficilem. CA. Simulamus potius quàm fatemur. FA. Nēpe tu rem alioqui facilem, valde difficilem reddis, magnámque nobis solicitudinem iniicis, dum te pro Nizolii obseruationibus non aliter quàm pro aris & focis, pugnare paratum esse ostendis. Videris enim non fore nobis nisi multis rationum quasi machinis expugnabilis. CAM. At ipse futurū spero vt oppugnatione tantùm opus sit, nec ad expugnationem venire oporteat. FAB. Quid ita? C. Quoniā vel prima quā admoueris machina perterritus Marcus, de facienda deditione cogitabit. M. Adeon' mihi parum esse Martium pectus existimas? FAB. Tibi nomen esse Marco, in mentem mihi non veniebat. CA. Quid? an Marcis Martium magis quàm aliis est pectus? FAB. Inauditū mihi quoq; est illud: sed tamē talis quædam fiducia huic nostro Marco inesse videtur.

M. Μάρκιον ὁ στῆθος, τόδε τι καὶ ἄρκιον εἴη. C. Vel hoc certè versu magnā prę se fert fiduciam. FA. Sed aliud est fiduciam præ se ferre, aliud,

duciam habere. MAR. Cur non, iocos miſ-
os faciens, ad illam accuſationem venis,
uam ego arduam vtrique veſtrûm futurã
dixi, & iterum dico? FAB. Iam ad illam
ccingimur: ſed nobis (quandoquidem rem
rduam aggredi nos exiſtimas) hoc præfa-
i per te liceat,

Ardua molimur: ſed nulla niſi ardua uirtus.

AR. Etiam Muſarum auxilium, poetarũ
nore, implorare ſi libet, tibi concedo: ſed
iutius tergiuerſari per me tibi non licet.
AB. Itáne hæc quæ à nobis breuiter
προπέπαικται, tergiuerſationem appellas?
Quaſi verò mihi in promptu & velut in nu-
merato non ſint illæ rationes, quibus addu-
ctus, ita de Nizolii in Ciceronem Obſerua-
tionibus paulò antè loquutus ſum: aut me
ad hanc rem Muſarum opem implorare o-
porteat: vt tu, irridens potius quàm iocãs,
dixiſti. MAR. Cedò igitur illas rationes.
FAB. Haud vllus creditor vllũ debitorẽ ma-
gis vrgeret. At ego antequam illas rationes
proferam, in ipſum operis Nizoliani titu-
lum volo inquirere. CAM. Rem mihi lõgè
gratiſsimã facies. ſępe enim miratus ſum cũr
ſuũ illud opus Obſeruationes in M. T. Ci-
ceronem appellaſſe t. M. Iam animaduerto
veſtrã quandã in Nizoliũ maleuolentiã: quę
facit vt quãlibet eius reprehẽdẽdi occaſio-

nem captetis. FA. Bona verba quæso: vt ipse paulo antè mihi dixisti. vnde enim maleuoli sumus Nizolio, qui vel ante nos natos vita excesit, vel certè antequam nos illum natum esse scire possemus? Amicos potius illi nos esse par est, futuros alioqui omnino ingratos: quum iis saltem quibus vsi sumus preceptoribus labor illius multũ vtilitatis attulerit, cuius pars aliqua in nos redundarit. MAR. Egregiam verò narras amicitiam, egregium amicorum officium, amicum accusare. CAM. Memento Marce, dicti illius, Amicus Plato, sed amica magis veritas. MAR. Imò, quòd ipsum titulum caluniamini, id certè cæteram accusationem vestram mihi suspectam reddit, atque vt parum veritatis illi credam subesse, facit. CAM. Præclarè tecum nunc agitur, quòd cum tui similibus, id est iracundis, hominibus tibi res non sit. nihil enim aliud quàm iracundia illud verbum tibi extorsit. MAR. Quid refert, iracundiáne an alio modo extorta mihi sit veritas? Nisi fortè mihi quoque amicam esse illam non existimatis. CA. Quid? si amica esset, an extorqueri tibi sineres? FA. Vereor, Camille, ne hominis iram augeas, si cogere illũ velis ad hæc respódere. Potius igitur placidè ostẽdamus nos non absque ratione ipsum quoque libri titulum,

l ipsam inscriptionem (vt Ciceronianè & rtasse magis etiam Latinè loquamur) rehendere: ideóque calumniatores hac in non esse. C. Tuum cõsilium probo: atq; oc addo, vbi de illis verbis, Obseruatio s in Ciceronem, disseruerimus, aptè ve- t corollarium, adiunctum iri obseruati idem Ciceronis mentionem. FA. Non in- lligo quid velis. CAM. Dico mentionem ptè factum iri eius quoque quod idem izolius scribit in ea quam operi suo præ- xit epistola ad Ioannem Frãciscum Gam- aram, se Ciceronem obseruasse. Eius enim æc verba sunt, *Quanquam Cicero ipse per se, a defensus est ut nullis cuiusquam maledictis tã- iuri autoritas diminui possit. In quo ego ob- eruando si & tibi & cæteris qui tantopere genus oc lucubrationis cupere uidebantur, satisfeci, audeo, uehemẽtérque lætor.* FAB. Meminero; unc autem de inscriptione illa dicendum est. CA. Attentam nunc Marce aurem præ- be Fabio. MAR. Lubenter præbebo. FAB. Ita igitur censeo, Marce, non satis aptè Ni- zolium librum suum appellasse Obseruatio- nes in Ciceronem: quoniam quælibet Ci- ceronis vocabula, etiam maximè vulgaria, quasvis eorum significationes, etiam maxi- mè vulgares, ex quibuslibet locis in illum collegit: neque vllum in vlla triũ harum

rerũ delectũ adhibuit. Adeo vt ibi etiã vbi affert nobis ex Cicerone vulgaria & passim obuia vocabula: cuiusmodi sunt, Magnus vel Paruus, Calidus vel Frigidus, Bonus vel Malus, Pater vel Mater, Ego vel Tu, Facio vel Dico: hęc quoque, & alia huiusmodi, Nizolij Obseruationibus accepta ferre oporteat, si illo eius libro vtamur, & illam eius inscriptionem sequamur. MAR. Quid igitur requireres in Nizolio, vt librum suum Obseruationes in Ciceronẽ appellare posset? FAB. Vt adhibito delectu quædam magis insignia Ciceronis vocabula, vel loquendi genera, aut rariora, aut obscuriora, (nisi potius hæc tria simul) annotaret atque explicaret. MAR. Vellem certè alia esset vsus voce Nizolius, vt tibi aliisq; adeo morosis satisfaceret: sed si error huic appellationi subesse dici potest, at certè in re leui & leuiter dici debet errasse. FAB. Quid quòd Ciceronem se obseruasse dicit? MAR. Siccine loquutus est noster Nizolius? F. Quasi verò non audieris Camillum locum quẽdam ex eius præfatione recitantem, in quo se obseruasse Ciceronem ait. MAR. Non equidem audiui: quoniam tunc animum ad ea quæ à vobis dicebantur non attendebã. Sed hæc verba, Obseruasse Ciceronẽ, quidnam illi significãt? FAB. Nihil aliud quàm

Obſeruationes in Ciceronem ſcripſiſſe. CAM. Mirum ſanè eſt Nizolium, qui ſe Obſeruationum ſcriptorem profiteretur, ne ipſum quidē verbi Obſeruare vſū obſeruaſſe. FAB. Non tam mirum certè eſt quàm pudendum, illum ne hoc quidem obſeruaſſe, ſe non bene vti verbo Obſeruare. MAR. Satis erat Mirum dixiſſe, cur Pudendum etiā addis? F. Imò nō ſatis erat: ſed Camillus alterum addere non audebat. Tu verò an etiam hîc Nizolio vis patrocinari? MAR. Non equidem: ſed eum velim à te minus aſperis verbis accipi. non dubito enim quin cætera omnia in illa eius præfatione bellè ſe habeāt. F. Imò verò pauca ibi ſatis bellè ſe habent: quædam alium quemuis potius ſtylum quàm Ciceronianum ſapiunt. CA. Ipſe verò aliquod etiam vocabulum in ea legiſſe me recordor, quòd tantum abeſt vt Ciceronianum, vt vix Latinum eſſe credam. MAR. Qui antea vrbis oppugnationem moliebamini, nūc ipſorum ſuburbiorum oppugnatione contenti eſtis. CAM. Quid ſibi vult, Fabi, hæc allegoria? FA. Intelligit Marcus, nos, qui antea ipſum Nizolij opus accuſabamus, totam accuſationem in præfationem operi præfixam conuertere. CA. Illam igitur præfationem miſſam faciamus; & ad opus ipſum venientes,

amplisſimam nobis accuſationis materiam ſuppeditare oſtēdamus. FA. Rectè mones. ſed vereor vt oratio noſtra audientiam ſibi apud talem iudicem poſsit facere. MAR. Hac de re minimè ſoliciti eſſe debetis: iam aures incipio arrigere. F. Audiēt tamē quod nolent. MAR. Imò ſi nihil aliud quàm quod verum ſit audiant, nihil audient quod nolint. Sed memineris te dixiſſe, illud opus Nizolij multa inepta habere. F. Non adeo ſum obliuioſus, vt hoc mihi à te in memoriam reuocari neceſſe fuerit. Quid ſi verò non inepta ſolùm ſed ineptiſsima etiā quædam proferam? MAR. Quę tuo & Camilli iudicio inepta aut ineptiſsima etiam erunt, non protinus meo & aliorum talia futura ſunt. FAB. Quódnam igitur, Marce, tuum erit iudicium de Ciceronianis vocabulis quæ à tuo Nizolio malè exponuntur? de iis quæ tanquam ſynonyma, aut contrà tanquam oppoſita ab eo afferūtur: quum neque illa, ſynonyma, neq; hęc, oppoſita eſſe dici poſſint? Quænam tua futura eſt ſententia de pleriſque Ciceronis locis ab eo permixtis, in quibus quanuis ſint vnius eiuſdémque verbi aut generis loquendi exempla, quanuis etiā eędem propemodū voces, non eundem tamen ſed valde diuerſum vſum habēt? CAM. Omittis duo multo illis quæ cōme-

morasti ineptiora. FA. Quænam sunt illa? nūc enim fortasse in mĕntem mihi non venient. CA. Vnum est, quòd multa vocabula pro Ciceronianis affert, quæ quanuis in quopiam ex libris Ciceronis reperiātur, sunt tamen non eius, sed alicuius ex poetis qui multis annis illud eius seculum præcesserant, aut certè alicuius eorum qui quanuis non eodem seculo tantùm sed eodem tēpore eodémque in loco vixerint, non eodem tamē stylo (valde etiam diuerso nonnulli) vtuntur. Alterum, quòd nonnulla, & ea quidem non pauca, tanquam Ciceroniana, cęteris intermiscet, in quibus non Ciceronianam Latinitatem, sed dormitantis librarij errorem agnoscunt qui nō omnino sunt insagaces: quędam denique pro Ciceronianis à nobis vult haberi quæ vix Apuleio, aut Macrobio, aut Solino digna videri possint. FA. De his non tacere quidem, sed mētionem seorsum facere statueram: & quidem de horum nonnullis cū non accusare solùm sed simul etiam excusare. CA. Quid tu ad hęc Marce? (de iis autē præsertim loquor quorum Fabius mentionem fecit) an ne hæc quidem digna censes quę inepta vocentur? Itáne repentè obmutescis? MAR? Quomodo ad hæc non obmutescerem? præsertim quum vobis ta-

lia de Nizolio dicentibus neque fidem habere possim, neque derogare audeam? CA. Imò verò te non nobis sed tibi ipsi fidem habere, tuis ipsius oculis credere volumus. FA. Nónne hoc saltem à te impetrabimus vt tuis ipsius oculis credas? MAR. De quibus verò vultis me illis fidem habere? FA. De iis quæ legenda proponemus. M. Habenda erit certè. nihil enim (vt opinor) valere hîc possunt præstigiæ. FA. Quòd si etiã valere aliquid possent, cum præstigiatoribus rem tibi non esse satis nosti. M. Ecquis talia extare in Nizolij opere, persuadere vnquã mihi posset? veruntamen vbi oculis meis ea vsurpauero (vt Lucretianis verbis vtar) illud mihi persuadeã, aut certè illos allucinari suspicer necesse erit. FA. Eamus igitur in rem præsentem. id est, illud ipsum opus de quo agitur visamus. M. Non procul ab illo Auli bibliopolio absumus. CA. Non tamen autor fuero vt illic visamus, quum & multi fortasse superuenturi sint qui sermonem nostrum interpellent, & ipsi bibliopolæ rem minime gratam simus facturi, vbi nos non ad emendum Nizolianas Obseruationes, sed ad inquirendum in illas venisse animaduerterit. MAR. Quid igitur faciendum censes? CA. Eundum in bibliothecam meam, quæ opus illud habet,

& quidem ex editione Italica, anno M. D. XXXV. publicata. MAR. Quãuis lõgiusculum sit iter, non recuso tamen illuc proficisci: tanto videndi locos illos teneor desiderio. FA. Mirum certè est te locos illos videndi desiderio teneri, quum in illis nihil aliud quàm ineptias visurum te, iam toties prædixerimus. MAR. Atqui non eos videre cupio quòd ineptias in illis libenter visurus sim, sed vt sciam vtrum mihi posthac credendum sit, Nizoliúmne ineptè quædam in illo suo opere scripsisse, an vos ineptire dum illum ineptiarum accusatis. CA. Nónne hoc posterius malles, si tibi optio daretur? M. Mallem profectò: vt iam liberè loquar. CA. Quî fit vt tantopere de Nizolij existimatione labores? MAR. Quoniam de mea quodammodo agi puto. recordor enim illorum Horatij versuum,

Qualem commendes, etiam atque etiam aspice: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

CA. Tu igitur Nizolium nonnullis commendasti. MAR. Plurimis certè plurimum commendaui. FA. Hinc illæ lacrymæ: vereris ne palinodiam canere cogaris, & ita Nizolij ignominia in te redundet. MAR. Ah, nimium aspero verbo vteris. etiamsi enim veræ comperirentur omnes illæ tuæ re-

prehensiones, non tamen ignominiam illi afferre possent, sed tantùm de existimatione eius aliquid detraherent. FA. Multum profectò detraherent: hoc saltem fatearis necesse est. Sed cur Detraherent dico? imò verò detrahunt. verę sunt enim, siue à te comperiantur tales, siue non. CA. Quum iam propè à meis ædibus absimus, vbi in rem præsentem (vt dictum est) veniemus, hanc controuersiam in tempus illud differendam, & de vtilissimo illorum Horatij versuum cõsilio differendum censeo. MAR. Quid? an succurrit quidpiam in illis propter quod locum habere hîc nõ potuerint? CA. Vnde ista tibi repentè suboritur suspicio? MAR. Ex eo quòd vtrunque vestrûm, ἐγκληματικὸν siue φιλεγκλήμονα esse nouerim. CA. Vereor ne istud conuitium audierit Fabius. actum est autem de te si hoc aures illius pepulerit: vel (vt Plautinis verbis vtar) si eius aures sonum hũc vsurpauerint. MAR. Quamobrem? CA. Quoniam crabrones irritasti. MAR. Danda mihi est venia: quòd me apud homines, non apud crabrones, verba facere existimarem. FA. Quidnam mouit Marcum, Camille, vt nostrûm vtrunque ἐγκληματικὸν & φιλεγκλήμονα (hęc enim inaudij) vocaret? C. Narrabo rem omnem. Dum tu illum tuũ veterem amicũ, factum

tibi obuiam, alloquereris, illam de Nizolij locis quos reprehendimus controuersiam bibliothecæ meæ reseruãdam esse dixi, quę nobis ipsum Nizolij opus exhibitura esset: interim verò de vtilissimo illorum Horatij versuum consilio disserendum mihi videri. Hîc ille, An succurrit quidpiam (inquit) in illis versibus propter quod locum habere hîc non potuerint? Quum autem rogassem vnde hęc repentè suborta illi esset suspicio, Ex eo (respondit) quòd vtrunque vestrûm, ἐγκληματικὸν siue φιλεγκλήμονα esse nouerim. FAB. Quid? tu Marce, qui tam enixè aspera (vt ipse vocas) in Nizolium verba deprecaris, in nos non aspera tãtùm sed atrocia etiam iacere audes? Nisi fortè quis proprius sit illarum vocum Græcarum vsus aut non meministi, aut non satis nunc quidem expendisti. CA. Veniam Marco de verbis illis Græcis dandam censeo: quippe quem illa inconsideratè protulisse existimem, quum alioqui φιλεπιτιμητὴν esse vtrunque intelligeret. FA. Quid? an hoc verbum in te iactatum velles agnoscere? CA. Ne hoc quidem certè: sed minus asperum tamen illis esse fatendum est. FA. Quid verò erat de quo eum volebas reprehendere quod ad versus illos attinet? CA. Minimè profectò de vlla eius reprehensione cogitabam, sed

de illis verſibus aliquid dicere volebam, quod mihi interim memoria excidit. FA. At ego amplam eius reprehendendi occaſionem nactus eſſe mihi videor: quam nequaquam prętermittendam cenſeo, vt non immeritò φιλεπιτιμητὴς ab eo appellatus dicar: quũ alioqui nihil tale facturus eſſem. CA. Qua de re eum reprehẽdendi? FA. De nõ ſatis apto illorum Horatij verſuum vſu. CA. Satius fuiſſet tacuiſſe Marce, quàm verbis illis Fabium aduerſus te cõcitaſſe. MAR. Mirũ ni & aduerſus ipſum Horatium ſit cõcitatus. CA. Cur his Fabium verbis magis exaſperas? M. Quoniã eius iram non magis metuo quàm culicẽ elephas Indicus formidat. Nihil autẽ nũc aliud quàm aliquam ſophiſmaticã decipulã ſuper iſto Horatij loco aduerſum me ſcio meditari. F. Imò iam meditatum à me & cogitatum: eſt non ſophiſma quodpiam ſuper eo, ſed aliquid quod ἁπλοῦν τῆς ἀληθείας μῦθον ipſe vocaret Euripides. Dico enim te in proferendo illo Horatij loco alium dediſſe vſum verbo Commendare, quàm ipſe Horatius dederit: perinde videlicet acſi Laudare ibi ſignificaret: quum tamen ibi ſit quod Græci dicũt συστῆναι. MAR. Ideo ſcilicet ita intellexit Horatius, quia tibi ita libet exponere. F. Imò verò ipſemet ita exponit Horatius: quum ſubiungit,

ſubiungit,

Fallimur, & quondam non dignum tradimus. CA. Nimis obſcura eſt Marco fortaſsis iſta expoſitio, quòd non ſatis intelligat quidnam hîc verbum Tradere valeat. FA. Quid ais? Ciceroniano Marco notꝰ nō erit hic Ciceronianus verbi Tradere vſus? M. Quaſi verò ego Ciceroniani nomen mihi aut tribuam aut affectem. CA. Quinetiam è Ciceronianis quempiam poſſet vſus ille verbi iſtius latere. FA. Imò certè mirum nō fuerit illum omnes eos Ciceronianos latere quorum præceptor eſt Nizolius, quum hunc ipſum latuerit. Videri autem Latinos in hac verbi Tradere ſignificatione eam Græci παραδοῦναι imitari, à qua dicitur παράδοσις ἐπιστολή, didici ex iis quę nuper Henricus Stephanus ſcripſit in Ciceronis epiſtolas ad familiares. CA. Sed nónne, Fabi, Tradere plus eſt quàm Commēdare? FA. Plus certè: ideóque vbi vtroque ſimul vtuntur, illud poſtponunt. CA. Mihi autē videor legiſſe apud Horatium Laudare & tradere. FA. Minimè falleris. extat enim apud illum hîc verſus,

Scilicet ut tibi ſe laudare & tradere coner.

CA. Quid? nónne hic verſus pro Marco facit? FA. Nequaquam. quanuis enim Laudare & tradere dicat Horatius, quòd Cō-

mendare & tradere numeri verſus dicere non permittant, non tamen in illo altero verſu de quo mota eſt inter nos controuerſia, Commendes exponere poſſumus Laudes: niſi & in aliis omnibus aliorum ſcriptorum locis dicamus, Commendare, quod pro Græco συνιστάναι poſitum ſit, poſſe itidem generali verbo Laudare exponi: & quæ Commẽdatitiæ vocantur epiſtolæ, poſſe Laudatorias etiam appellari. CA. Quomodo autem Horatio pro Commendare & tradere, licuit dicere Laudare & tradere? FA. Reſpexit (opinor) Horatius ad id vnde orta eſt ſignificatio illa verbi Commendare, à qua Cõmendatitiæ literæ dicuntur. Neque enim dubito quin ex eo ſit, quòd eum quem alicui commendamus & tradimus, quem velut fidei alicuius committimus, laudare ſoleamus. CA. Qui ergo alicui quempiam commendat & tradit, is eum laudat: (ſequendo vulgarem commẽdationis modum) quum viciſsim dici non poſsit, quicunque laudat, etiam commendare & tradere. FA. Rectè. CA. Cupiebam Marce tibi patrocinari: verùm

Cauſa patrocinio non bona maior erit,

vt Naſonis vtar verbis. MAR. At ipſe aliquid afferrem quo meam tueri cauſam poſſem fortaſſe: niſi quum iam ad tuas ędes

peruenerimus, vbi te Nizolium nobis exhibiturum promisisti, in cœpta de illius opere disputatione horas istas collocare mallem. FA. Atqui cessabit omnis illa de Nizolio siue disputatio siue altercatio, simulatque ipse comparuerit. M. Cessabit illa: quia Nizolius silentium tibi imponet. F. Imò tibi. C. En vobis tandem boni illius viri Obseruationes. F. Vnde vis initium euoluendi illas sumamus, Marce? MAR. Ab illo verbo Tradere: vt videam an verè à te dictum sit (ignoscas velim mihi, si te suspectum habeo) nullam eum mentionem facere eius vsus verbi illius Tradere, quem tu Horatio cum Cicerone communem esse dixisti. FA. Lubentissimè initium inde sumam, vt me hac primùm suspicione apud te liberem. Verùm ne meæ quidem recitationi habiturum te fidem existimo: ideóque vt oculos ipse quoque admoueas rogo. At Camillo eius verba recitabo. TRADO, *dis*, Do, *Dedo*, Doceo. MAR. Videamus iam singula exempla. nō dubito enim quin illius etiam significationis exemplum aliquod simus inuenturi. FA. Exemplum fortasse aliquod illius inueniemus, sed temere cæteris, id est, cæterarum significationum exemplis, interiectum: non autem ab illis distinctum, vel peculiari aliqua expositio-

ne notatum. MAR. Ecce vnum ſaltem exẽplum, *Sic te Cæſari commendaui & tradidi vt grauiſſimè diligentiſſimeque potui.* FA. Nónne id videmus quod nos viſuros ſuſpicabar? MAR. Quídnam. FA. Temere aliis exemplis permiſtum hoc eſſe, nulláque expoſitione notatum. MAR. Expoſitione opus non erat, quòd verbo Commendaui præcedente exponatur ſequens Tradidi. Adde quòd non is eſt Nizolii mos, vt quos in exemplum affert locos exponat; ſed omnes ſuas expoſitiones ſolet ipſi vocabulo ſubiungere, antequam ad exempla veniat. FA. At debuerat ſaltem hunc locum à cæteris ſecernere: contrà verò illum video in hoc etiam peccare quòd duos locos, qui ſignificationis illius duo ſunt exempla, longiſſimo interuallo ſeparet. Nam cum loco illo quem ex fine recitaſti, conuenit iſte qui ordine eſt tertius, *Totum denique hominem tibi trado, de manu (ut aiunt) in manum,* &c. Quod autẽ dicis, Nizolium ſolere ſignificationes omnes ipſi vocabulo ſubiungere, antequã ad exempla veniat, videamus an id verum comperturi ſimus vel in illo altero verbo de quo ſermonẽ habuimus: in illo, inquam, verbo Commendare. Libétne? M. Libet. FA. COMMENDO. *Probo, Fidei alicuius cõmitto, In tua fide ac religione depono, Concredo,*

n uestra fide atque humanitate totam causam re-ono, *Ciuitas in Catonis fide locata*, *Qui natio-es deuictas bello in fidem acepissent*, *Omnia in idem & quodammodo patrocinium mei consula-us sunt collata*, *In fidem meam accipio*. CA. Itá-ne hæc omnia illi verbo Commendo, tan-quam eius expositiones, subiunguntur? FA. Si mihi recitanti ne tu quidem fidem vis ha-bere, idem facito quod Marcus, vt tuus ti-bi sis ἀνταγωνιστής. CA. Egón' tibi fidem dero-gem? haud sanè tuam fidem in dubium vo-cantis, sed Nizolij mentem mirantis erant illa mea verba. MAR. Interim verò admira-tione dignum tibi Nizolium videri fateris. CA. Imò longè aliud intelligo, mirari me quid homini in mētem venerit, vt talia scri-benda putauerit. FA. Perlegendus est tamē à me hic locus, vt cætera quoque audias: tum demum de Nizolij mente differemus. Addit igitur, *In tutela alicuius sum*, *Alicuius virtuti, fidei, felicitati sum commendatus*. Primū autem vsus verbi illius *Commendo* exēplum affert hoc, *Cum eum præter simulatam tri-stitiam nulla res commendaret*. Cui subiun-git istud, *Neque enim omnium iudicio malim me a te commendari quàm ipse tuo iudicio dignè ac mereor esse commendatus*. Addit alia multa, nullum in illis certum ordinem tenens, sed more suo ea permiscens atque confundēs.

Alioqui primum illud exemplum proximè ſequi debuerat iſtud, *Lenis oratio commendat reos*. Hoc autem ſubſequi iſtud, *Vox, quæ una maxime eloquentiam commendat.* Contrà verò tria hæc tribus interuallis longulis ſeparata eſſe videmus, & interiecta eſſe alia quæ non ad hanc ſed ad aliam ſignificationem pertinent. CA. Sed non conſideras fortaſſe, Fabi, quod peius etiã eſt, inter expoſitiones tã varias (ſi vocari expoſitiones poſſũt pleraq; ex illis verbis voci Cõmẽdo ſubiũctis) nullam eſſe quæ vllo modo quadrare queat primo exemplo, cæteríſque duobus quæ ſubſequi debuiſſe dixiſti. Neque enim in locis illis Commendo, eſt Probo, vel Fidei alicuius committo, vel In tua fide & religione depono, vel Concredo: multo etiã minus quicquam ex iis quæ ſequuntur. FA. Ignoráſne, an oblitus es, hunc eſſe Nizolij morem vt ſignificationes pleraſque, & quidem interdum præcipuas, omittat? & earum tamen nõnunquam exempla cæterarum exemplis permiſceat? CA. Iampridem certè illius opus non euolui: hinc fit vt oblitus ſim. Sed hic verbi Cõmendare vſus, de quo tacet, eſt omnium elegantiſsimus. FA. Eſt certé: ſed ſimul omnium difficillimus explicatu. CA. Vno quidem verbo vix explicari poſſe arbitror. FA. Vix ac ne vix qui-

dem inueniemus vnum quo vim eius satis exprimamus. MAR. Eo magis ignoscendũ esse dicam Nizolio, quo vos magis in ea quam prætermisit explicatione laborare videbo. FA. Atqui non difficile nobis est illud verbum exponere, sed in eo tãtùm hæremus, quomodo vnum vno, non pluribus, exponamus. CA. Quid verò periphrasi nos vti vetat? FA. Nihil certé, atque adeo vtẽdum est. Dico igitur, in locis illis verbum Commendare nihil significare ex iis quæ à Nizolio ibi coaceruantur, sed rem aliquam dici quempiam commendare, quum nostrũ fauorem ei conciliat: vel, quum facit vt placeat, vt gratus sit nobis & acceptus: aut etiam vt sit in pretio, vel maiore in pretio. Atq; vt res aliqua cõmẽdare quẽpiã, à Tullio, & aliis, ita vicissim quispiã re aliqua se commendare dicitur ab Horatio, ex qua fauorem siue laudem, vel vtrunque simul captat. veluti quum epistola decimaoctaua libri prioris scribit,

Est huic diuersum uitio uitium propè maius,
Asperitas agrestis, & inconcinna, grauisque:
Quæ se commendat tonsa cute, dẽtibus atris,
Dum uult libertas mera dici, ueráque uirtus.

Suo autem (vt ita dicam) modo loquens idem poeta dixit,

Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ.

CA. Cur hîc more ſuo loquutum eſſe Horatium dicis? Hoc ſi ita eſt, latet me vera huius verſus explicatio. FA. Quomodo eũ explicas? CA? Quod me, qui iuuenis ſum, commendet amicæ Lucanæ. FA. Apage abſurdam hãc expoſitionem, & apertè falſam. quis enim neſcit Horatium iam tum vetuſum fuiſſe? CA. Ignoſce mihi: neſciebam illum de ſeipſo loqui. Sed quid eſt igitur accuſatiuo illo *iuuenem* faciendum? F. Suo, inquam, modo, ſiue ſuo more vſus eſt illo Horatius. CA. Sed quis tandem ille eſt? FA. Illum inde diſcas volo vnde & ipſe didici. CA. Vnde? FA. Ex Henrici Stephani Obſeruationibus in Horatium, quas appellauit Diatribas. Cedo eius editionem. ſcio enim tuam bibliothecam ea non carere. CA. Iamiam à me afferetur. MAR. Proditne iampridem illa editio? F. Haud ſatis recordor quàm pridem. C. En tibi librum quem petis. FA. En tibi viciſsim explicationem quam audire expetis. Nam de aliis huiuſmodi Horatij locis facta mentione, tandẽ hæc addit, Sic & quum de ſe dicit Horatius, Epiſt. 15. lib. 2, *Quod me Lucanæ iuuenem commendet amicæ*, valde falletur qui Horatium ſibi iuuenilem ætatem tribuere exiſtimabit, quum ea iam præteriiſſet. Intelligit igitur, Quod mihi iuuentutis commenda-

tionem apud illam tribuat, Quod me, non minus quàm iuuenem, vel, perinde ac iuuenem, commendatum illi reddat, Quod faciat vt æquè sim illi acceptus acsi iuuenis adhuc essem. Atque his subiungit ista, Quod autem hîc de iuuene, idem vicissim de vetula intelligendum est, Ode 13, lib. 4, (sic tamen vt aliter quàm illic resoluatur oratio) *Seruatura diu parem Cornicis uetulæ temporibus Lycen*. Neque enim dicit Lycen esse vetulam, atq; adeo tam vetulā vt sit par temporibus cornicis vetulæ: (id est, vt vocari ipsa quoque possit τελκόρωνος) sed significare vult, eam futuram parem, siue effectũ iri parẽ. Intellige igitur, Seruatura diu Lycen, & effectura parem. Vel, Seruatura donec effecta sit par. Hactenus ille de duobus istis locis. Affert verò & alios: atque in his vnum, vbi non animaduersa ista Horatiani sermonis consuetudo in magnum vel potius maximum errorem lectores impulit. CA. Charior mihi erit quàm antea hæc editio. FA. Ad Nizolium autem vt reuertamur, nónne vides Marce, & fateris, illum insignem illam verbi Commendo significationem prætermisisse? MAR. Et videam & fatear necesse est. FA. Illa autem expositionum rudi indigestáque mole (quæ dicenda chaos) illa, inquam, mole exposi-

tionũ quę verbo illi Cõmẽdo subiúguntur à Nizolio, quid faciem ? c. Animaduerto, tuis illis verbis perterrefactũ esse Marcũ. aliis min' dithyrãbicis vtendũ tibi est. F. Imò ad ipsamet Nizolij verba iã venio: & Marcũ rogo quínã potuerit Nizoli' verbũ cõmendo exponere, *In tutela alicuius sum*: itẽ, *Alicui' uirtuti, fidei, felicitati sum commendatus.* CA. Aliã quàm actiui verbi naturã habere existimauit: vt pro Marco respondeam. FA. Atqui actiuis verbis in eo exponendo vsus antè fuerat. CA. Intelligo, illum arbitratum esse, verbum Commendo, præter illam actiui verbi naturam, aliam quoque habere. MAR. Te pro me respondere dicis Camille: s. dirridentis potius quàm respondentis personã suscipis. Vtinam verò Ciceronianus quidã, mihi perfamiliaris, hîc adesset: is (vt opinor) omnium harũ expositionum ita rationem vobis redderet, vt nulla irridẽdi occasio superesset. FA. Nempe mysteria quædam sub verbis Nizolij latere putas: mysticas esse eius expositiones credis: ideo ad Ciceronianos, tanquam mystas, confugiendum censes. At ipse, quanuis minimè Ciceronianus, qualia sint hęc expositionum mysteria, (si tam honorifica est vtendum appellatione) non minus quàm quisquam Ciceronianus, videor perspicere. Sunt enim expositiones

stæ ex variis Ciceronis locis congestæ, & quidem eiusmodi vt in iis expositionũ materiã potius quàm expositiones habeamus. c. Apertius istud declares velim. FA. Exẽpli gratia, verba ista, *Ciuitas in Catonis fide locata*, sunt verba Ciceroniani cuiusdam loci quæ expositionis verbi Commendo materiam suppeditant: quum ex illis possit excerpi isto expositio, *In alicuius fide loco*. Idem verò de istis dicẽdum verbis, *Omnia in fidem & quodammodo patrocinium mei consulatus sunt collata*. Hinc enim poterat itidem excerpi ista verbi Cõmẽdo expositio, *In fidem & quodammodo patrocinium alicuius confero*. Quidam verò sunt loci vbi non adeo magna mutatione opus fuisset. ex quibus est hic, *In uestra fide atque humanitate totam causam repono*. Duntaxat enim pro *uestra* dicendũ erat *alicuius*, & *aliquid*, pro duobus illis accus. *totam causam*: vt Cõmendo diceretur esse, *In alicui' fide atq; humanitate aliquid repono*. vel, *quiddam repono*. sicut paulo antè, pro *In tua fide ac religione depono*, potius dicẽdum fuisset, *In alicuius fide*, &c. Sed enim (vt verum fatear) alio potius quàm expositionum nomine hæc Ciceroniana dicta vocanda sunt: ideóque à cæteris verbis separari debuerãt. CA. Possúntne ex omnibus quos affert locis, eodem modo quædam excerpi, si non expli-

cãtia proprietatem verbi *Commendo*, at certè ad illud pertinentia? FA. Non equidem. nam hunc etiam locũ verbo illi, tanquã expositionem, subiungit, *Qui nationes deuictas bello in fidem cepissent*: quum tamen absurdũ futurum sit, dicere, *Commendo*, esse *In fidem aliquid capio*. CA. At Nizolio minimè visum fuisse absurdum, ostẽdunt hæc ipsa eius verba (paucissimis interiectis) *In fidem meam accipio*. FA. Alia multa videbimus multo his absurdiora & ineptiora, quę tamen absurda & inepta esse, nihilo magis animaduertit. FA. Quid si verò his contentus sit Marcus? MAR. Atqui nondum quicquam protulistis quod non censeam leniore quopiam nomine appellãdum. FA. At proferã, antequam hinc abeam, quæ ipsemet non inepta tãtùm sed ter quatérque inepta esse fateberis. MAR. Vix. CA. Ambiguum est illud Vix. dubiũ enim est an intelligat te vix talia esse prolaturũ: an se, etiãsi talia proferas, talia esse vix confessurũ. M. Libuit ambiguè loqui. FA. Nondum hac de re vrgendus est Marcus, Camille: sed tantùm vt patientem nobis commodet autem rogandus. M. De eo quod vltrò facio, minimè sum rogandus. FA. Ab hoc verbo ad aliud trãseundum censeo: si tamen priùs monuero, ne illam quidem expositionem cui primum

lat locum, satis veram videri. Est enim
probo verbum primum quo *commendo* expo-
nit Nizolius. CA. Nimium vis omnes Ni-
zolianas huius verbi expositiones ἐξονυχίζειν:
ad aliud (vt dixisti) transeundum censeo:
interiecto tamen priùs (si per vos liceat) il-
lo de Horatianis versibus sermone quem
mihi repentè memoria excidisse, antea cõ-
querebar. FA. De quibus loqueris Horatij
versibus? CA. De istis,

Qualem commendes, etiam atque etiam aspi-
ce: ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

FA. Lubenter audiam quid tibi super his in
mentem venerit. MAR. Lubenter & ipse.
CA. Cogitaui certè non absimile verò esse,
Horatium, quum hoc præceptum traderet,
non tantùm ad id quod experientia quoti-
diana docet, sed nominatim ad illud quod
Xenocrati contigit respexisse. FA. Quid il-
lud est? CA. Vt à Polysperchonte tyrãno,
(siue Polyperchonte, vt alij scribunt) de
quadam commendatione reprehẽderetur:
& iuberetur in posterum ἐξετάζειν quos cõ-
mẽdaret. id est, (Horatianis vtendo verbis)
etiam atque etiam aspicere quales essent
quos commendaret. FA. Pro verisimilibus
quotidie afferuntur, quæ minus quàm hoc
verisimilia sunt. MAR. Multo certè minus.

CA. Fateor alioqui, videri etiam posse ad hos Theognidis versus respexisse,

Μήποτ' ἐπαινήσῃς πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σαφηνῶς,
Ὀργὴν καὶ θυμὸν καὶ τρόπον ὅστις ἂν ᾖ.

Sed minus est periculi in laudando (quod prohibet nos facere Theognis, priusquam ingenium & mores eius quem laudaturi sumus, planè cognouerimus) quàm in laudãdo simul & commendando. Commendatio enim facit vt non solùm falsa pro veris habeantur, de illis qui falsò fuerint laudati, sed beneficia etiam in illos conferantur quibus omnino sint indigni. Atque hactenus à me interrupta sit tua Fabi in Nizolii inquisitio. FA. Cur non potius dicis Nostra, quum tuam mihi operam sis pollicitus? & dicti Homerici, σύν τε δύ' ἐρχομένω, memineris? CA. Atqui me velut κωφὸν πρόσωπον esse vides. FA. Imò te nequaquam talem Marco ostẽdisti antea. quem ego aduersarium metuo: quia vereor ne aliquid à Ciceronianis didicerit quo tandem omnia quæ obiecta fuerint refellat. De Ciceronianis autem Nizolianis loquor. CA. Atqui de his dicendum esse puto, similes habere labra lactucas. Times (credo) ne Marcus plumbeo quopiam gladio à Ciceronianis sibi tradito te iugulet. MAR. Itáne ludos me facere pergitis?

AB. AEdilium est ludos facere. MAR. sed non tales. CA. Haberem hîc quod dicerem, si oleum incendio addere vellem: uum potius id restinguere cupiam. FA. In ausa es Camille cur ad has verborum velitationes ventum sit. C. Quî fit vt in causa im? F. Quoniam tuum mihi ad hanc in Nizolium inquisitionem auxilium denegasti. C. Quid si meum tibi quantumuis ficulneũ uxilium pollicear, statímne ad sermonem nostrum reuertemur? F. Statim. C. Iam igitur polliceor. F. Ego vicissim eò iam nunc euertor. C. Sed quem ordinem vis tenere? F. Vt in singulis orationis partibus exempla quæpiam earum expositionum proponamus quæ nobis reprehensione dignę videntur, ac debent ipsi etiam Marco, & verò omnibus qui aliquo in Latinitate iudicio valent, videri. C. Libet igitur alia quępiam in ea parte orationis quę Verbum vocatur, exempla quæramus? F. Libet. C. Verùm sũntne aliqua quorum nunc recorderis? F. Nequaquam: quippe qui Nizolium à duobus iam annis non euoluerim. C. Vt igitur nobis librum eius nunc euoluentibus se offerent, ita ea proferemus. F. Omnino. Ac iã certè in vnũ incidi. CONTORQVEO, *Conuoluo, Deflecto, Iaculor.* vnam enim ex tribus istis expositionem esse falsam dico. C.

Nónne secūdam? FA. Maximè. FA. Potius certè *Detorqueo* quàm *Contorqueo*, significare posset *Deflecto*. M. Videndi sunt & attentè considerādi loci quos affert. FA. Hunc laborem non detrecto. Ac video iam profectò quid illum mouerit: id est, in errorem impulerit. Vltimus enim eorum quos affert locus, est hic ex Ciceronis opere De diuinatione, *Quosdam amnes in alium cursum cōtortos & deflexos uidemus.* MAR. Quídnam illud est quod eum in errorem impulisse arbitraris? FA. Non arbitror tantùm, sed omnino persuasum habeo, illum, quū videret participio *contortos* subiungi *deflexos*, existimasse hęc esse synonyma. solet autem, ex iis quæ à Cicerone copulari videt, & synonyma esse credit, vnum ad alterius expositionem afferre. MAR. Nónne velut synonyma ponuntur à Cicerone duo ista participia? FA. Minimè. neque enim participium *contortos* separandum est ab illis præcedentibus verbis *in alium cursum*. Quod autē quatuor verbis & per periphrasin dixerat *contortos in alium cursum*, postea vno dicit verbo *deflexos*. veluti siquis interroganti quid sit deflectere amnes, responderet esse, in alium cursum cōtorquere, vel in alium cursum conuertere. Fingamus enim Ciceronē ibi dixisse non Contortos, sed Conuersos

(vt

(vt certè Conuertere & Torquere ab eo cõiungi videmus) quid? an itidem Conuersos idem valere diceremus quod Deflexos? CA. Puto iam tibi acquiescere Nizolium. Sed aliqua nobis illius Nizolianæ cõsuetudinis, cuius modò mentionem fecisti, quærenda sunt exempla. FA. In illo ipso verbo Conuerto inuenietur aliquod fortasse. Imò non iam inuentum iri fortasse, sed inuentum esse dicendum est. Audite enim: CONVERTO, *Commuto*, *Traduco*, *Confero*, *Deuoluo*, *Refero aspectum aliquò*, *Reciproco*, *Vicissim retrò commeo*, *Pono*, *Recido*, *Conuersum habeo*. CA. Quódnam verò est ex his verbis, quod tanquam synonymum ad expositionem illius Conuerto attulerit? FA. *Traduco*. quoniam à Cicerone cõiungi vidit *traduxi* & *conuerti*, in hoc quem inter alios affert loco, *Tum omnem orationem traduxi & conuerti in increpandam Cepionis fugam*. Quòd si animaduertisset in eo qui hunc proximè sequitur loco itidem coniuncta *conuertit* & *rapit*, non dubium est quin ad alias verbi Conuerto expositiones additurus fuerit etiam Rapio. In illo enim scriptum est, *Quúmque aliqua his ampla & honesta res obiecta est, totos ad se conuertit & rapit*. MAR. At ego non dubito quin id animaduerterit: sed multum horum vnum ab altero differre, quanuis coniun-

gantur, viderit. At verò inter Traducere & Conuertere nequaquam tantam differentiã poſsis conſtituere. Imò & ab aliis fortaſſe quàm à Nizolio idem in loco illo valere iudicari poſsint. CA. De his duobus verbis poſtea diſceptabimus: nunc autem hoc dico, etiamſi Conuertere & Rapere idem valere dixiſſet Nizolius, tolerabilius id videri potuiſſe quàm quod alibi ſcribit, Rapere idem eſſe quod Vocare. Víſne Fabi locũ illum inſpiciamus? FA. Volo. CA. Audi igitur: RAPIO, Voco. Cic. Offic. 3. a. *Quũ utilitas ad ſe rapere, honeſtas contrà reuocare uidetur.* F. Huius expoſitionis occaſionẽ illi præbuit verbum Reuocare. CA. Præbuit certè: ſed debuitne præbere? FA. Nequaquam. quãuis enim verbũ *Reuocare* opponatur hîc verbo *Rapere*, non tamẽ perinde eſt acſi dictũ eſſet, Quum vtilitas ad ſe vocare, honeſtas contrà reuocare videtur. M. Cur perinde nõ eſt? FA. Quia multo vehemẽtius eſt Rapere ad ſe, quàm Ad ſe vocare. Imò ne vehemẽtia quidẽ vlla huic ſubeſſe videtur, quum illud non vehementiam ſolùm ſed violẽtiam etiam præ ſe ferat. MAR. Quid? an Cicero inuenire non poterat duo verba ſibi oppoſita, quorũ eadem vis & energia eſſet? FA. Quis hoc neget? Poterat enim verbis Trahere & Retrahere (vt alia quædã prætermit-

tam) vti. MAR. Quare aut his aut aliis huiusmodi vti noluit? FA. Quoniam voluit ostendere, maiorẽ vim vtilitatis quàm honestatis esse, ac multo plus illam apud homines quàm hanc valere. CA. Gratiam tibi habeo quòd meas partes susceperis. vix enim vnquã ita Marco respõdere potuissem vt illi satisfacerem. Sed rogo vt etiam de illo verbo Cõuertere, quod Nizolius exponit Traducere, illi respondeas. FA. Quid aliud respondere possim, quàm Nizolium non bene considerasse quis proprius verbi Traduco esset vsus? Hoc enim si bene perpendisset, Traducere prius quodammodo esse vidisset quàm Conuertere: quum Traducamus id (propriè loquẽdo) quod ab vno loco abducẽtes in alium adducimus. C. Idẽ mihi videbatur. Sed vísne & cæteras expositiones illius verbi *Conuerto* examinemus? F. Quídni velim? sed repetendæ fuerint illę. CA. Repetã. CONVERTO, *Commuto, Traduco, Confero, Deuoluo, Refero aspectum aliquò, Reciproco, Vicissim retrò commeo, Pono, Recido, Conuersum habeo.* FA. Vt de prioribus expositionibus priùs verba faciã, hoc dico, me, quanuis ostenderim esse cur secunda illa expositio (qua Cõuerto dicitur esse Traduco) reprehendi possit, cogi tamen illam tolerabiliorẽ esse fateri quàm vel tertiã vel quartã:

id est, quàm fateri, *Cōuerto* idē esse vel quod *Confero*, vel quod *Deuoluo*. De quinta pronuntio, fieri nullo modo posse vt verbum Conuerto sine adiectione aliqua significet Refero aspectum aliquó. Octauæ rationem (sed quæ mihi nullo modo satisfacit) ipsemet reddit, quum affert ex Salustij (vt ipse vocat) oratione in Ciceronem, *Qui aiutatis incōmodum in gloriā suam ponit*. & addit, *id est, conuertit*. Cæteras me non satis intelligere fateor: sed hoc tamen animaduertere, locū eas habere non posse, nisi Conuerto, eius etiam verbi quód neutrum grammatici vocant, naturam habere dicamus. Videamus itaque an in vllo ex iis quos affert locis verbum istud dici neutrum posse videatur. CA. Percurrendi sunt igitur omnes. FA. Nullum inuenio præter vltimum de quo tale quid suspicari possim. In eo autem legitur, *Sed hoc uitium huic uni in bonū cōuertebat*, ex Ciceronis De claris oratoribus libro. CA. Iudicium ferri de illo non poterit, nisi ipsummet Ciceronem adeamus, & ex eo quæ hunc locum præcedūt ac quę sequūtur audiamus. FA. Affer igitur Ciceronis opera. CAM. Accipe. FAB. In qua libri illius parte locum quo nobis inuento est opus, inueniemus? CA. Id nihilo magis quàm tu scire possum. Sed dum tu paginas quæ à sinistra

parte sunt percurres, ego eas quæ à dextra sunt percurram. FAB. In locum illum incidi. Audi me recitantem, & quidem altius repetentem. *Sed cùm hæc magna in Antonio, tum actio singularis: quæ si partienda est in gestum atque uocem, gestus erat non uerba exprimens, sed cum sententiis congruens: manus, humeri, latera, supplosio pedis, status, mœssus, omnísque motus cum uerbis sententiísque consentiens. Vox permanens, uerùm subrauca natura: sed hoc uitium huic in bonum conuertebat. Habebat enim flebile quiddam in questionibus* (ita enim, vel *conquestionibus*, non autem *quæstionibus* scribendum est) *aptúmque cùm ad fidem faciendam, tum ad misericordiam cõmouendam.* MAR. Totum illum librum à te recitatum iri existimabam. FA. An ægrè fers altius repetitũ à me esse locum? Ex eo certè perspicis me nonnisi valde circumspectè de illis Nizolij expositionibus sententiam ferre velle. MA. Quæ igitur tandem est illa? FAB. Non rectè ab illo exponi Conuertebat, tanquam verbum neutrum. Vt enim de aliis quæ afferuntur lectionibus, (*conuertebatur* & *uertebat*) taccam: etiamsi retineatur *conuertebat*, non video cur neutrum esse verbum necesse sit, quum nominatiuus natura subaudiri ante ipsum posit. *Vox permanens* (inquit) *uerùm subrauca natura: sed*

hoc uitium huic uni in bonum conuertebat. MAR. Atqui nomen natura, quod præcedit, non nominatiui ſed ablatiui eſt caſus. CAM. Quid tum? nónne ſæpe vſuuenit vt ex præcedentibus vox aliqua repetita ſubaudiatur, in alio tamen caſu? MAR. At *uertebat*, quod alij legunt, poſſétne eſſe neutrum, & ſignificationem habere abſolutam? FAB. Poſſet. MAR. Quídni poſsit & *conuertebat*? FA. Quoniam verbi Vertere ita vſurpati exempla ſuperſunt, at verbi Conuertere deſunt. Quid iam pro tuo Nizolio reſpondes Marce? MAR. Periculoſum eſſe de huiuſmodi expoſitionibus illius pronũtiare: ne fortè tandem aliqui alij reperiantur loci quibus illæ conuenire poſsint. FA. Imò quis dubitet quin ille diligentiſsimè eos præ cæteris excerpſerit quibus ſe ſuarum expoſitionum fidem lectoribus facere poſſe exiſtimabat? MAR. Hoc præterea credibile eſt, illum, quanuis vocem tantùm actiuam ponat, expoſitiones tamen plerunque afferre quę & ad paſsiuã pertineant. Quibus & hoc addo, quędam verba pro expoſitionib⁹ haberi, (vtpote illis permiſta) quæ tamẽ expoſitiones non ſint. FA. Qualia igitur eſſe verba illa dicemus? an ſynonyma? M. Partim ſynonyma, partim velut ſynonyma. Exemplis autem melius

declarabo quod ſentio. Verbo *conuerto* cùm alia apponit, tum verò hæc, *Traduco*, *Confero*. Sed quum hoc facit, ad quoſdam Ciceronis locos reſpicit, vbi verba illa extant, eidem rei cui & illud, adhibita. Ecce enim, ex oratione De aruſp. reſp. *Ludi penè ad cædem & ad funus ciuitatis conuerſi ſunt*. Ecce ex eadem, *Ludi ab lætitia ad metũ traducti ſunt*. Etiã hæc ex eadẽ, *Qui ludos ad luctum cõferre uoluit*. FAB. Non parum certè tibi pro iſtis excuſationibus debent manes Nizoliani: ſed eiuſmodi ſunt tamen vt aliquid accuſationis ſecũ trahant: præſertim quum eum dicis cum expoſitionibus miſcuiſſe illa quæ aliquid aliud ſunt quàm expoſitiones. CA. Ego verò dico, ſi vera ſint quæ iſte Nizolij excuſator affert, Nizolium non quemuis lectorem, ſed doctiorem quàm ipſemet fuerit requirere. Sed addo, quoſdam eſſe locos in quibus lectores, quo doctiores erunt, eo magis quid in mentem venerit Nizolio mirabuntur: præſertímque illa ſynonyma aut veluti ſynonyma legentes (vtroque enim modo appellanda cenſes) plerunque ſibi viſum iri ſomniare. Exempli gratia, quî fieri poſſit vt verbum Peto ſynonymum ſit aut velut ſynonymum verbo Coniicio? & tamen inter alia ponitur. Locum ipſum

adeamus. CONIICIO, *Coniectura assequor uel consequor*, *Coniecturam facio*, *Coniectura prospicio uel perspicio*, *Agnosco*, *Auguror*, *Interpretor*, *Diuino*, *Existimo*, *Diuido*, *Peto*, *Confero*. FAB. Miraris quid hîc agat verbum Peto: quid non miraris etiam quid hîc verba Diuido & Confero agant? CA. Imò: sed multo etiam minus illud quàm hæc duo habere hîc locum posse videtur. FAB. An verò in editione Basiliẽsi, quæ Cælij Secũdi Curionis labore atq; industria multo prodiit auctior (vt ipse titulus prædicat) talia emendata non fuerunt? CA. Nescio: sed breui scire potero, quum illam quoque habeam. FA. Quanto certè plura in Nizolio lego, eo magis apud me de illo dico quod ab Horatio de Plauto dictum fuit (& quidẽ meritò, quod ille immeritò videtur de Plauto dixisse) nimium patienter, ne dicam stultè, miratos illũ esse quosdã. CA. Affero editionem illam Basiliensem: nónne placet in locis illis de quibus antea egimus vnam cum altera cõferamus? FA. Placet. CA. Incipiam à verbo *Commendo*. Vides vt eadem sint omnino? *Probo*, *Fidei alicuius committo*, *In tua fide ac religione depono*, &c. Consulamus hanc editionem & de verbo *Contorqueo*. Hîc quoq; eædem sunt expositiones, *Conuoluo*, *Iaculor*, *Deflecto*. mutatæ sunt tan-

ùm duarum pôſteriorum ſedes. FA. Vide n in ea quoque *Rapio* exponatur *Voco*. CA. Eadem & ibi eſt expoſitio. FAB. Quære & verbum Conuerto. CA. Huius verbi omiſſæ ſunt expoſitiones duæ, *Confero* & *Deuoluo*. FAB. Mirum eſt omiſſas fuiſſe potius illas quàm has, *Reciproco*, *viciſſim retrò commeo*, *Pono*, *Recido*, *Conuerſum habeo*: ac præſertim quàm iſtam, *Recido*. Ad *Confero* certè quod attinet, nihilo magis omitti debuerat quàm *Traduco*: quum (vt antea oſtendit Marcus) in duobus his verbis ad duos Ciceronis locos reſpexerit Nizolius, vbi hæc verba eidẽ rei cui & illud eſſent adhibita. CA. Ne ipſe quidem Cælius (quantum video) ſatis Nizolij mentem vbique intellexit: ac vereor vt ſatis cautè in alieno opere fuerit vbique ingenioſus. Ideóque iam malim illa editione, in qua purum putum Nizolium habemus, contẽti ſimus. FA. Hoc & ipſe malim. C. Tibi verò Marce an idẽ placet? M. Quídni placeat? CA. Nec verò iam ſingulis verbis, quorum expoſitiones afferemus, tamdiu immorari (vt opinor) neceſſe erit. Quid enim iam longa diſceptatione apud Marcum opus ſit, quum illam priſtinam in defendendo Nizolio pertinaciam deponere ſtatuerit? MAR. Pertinaciam in defendẽdo Nizolio deponere ſtatui, ſed non defenſio-

nem tamen abiicere. CA. Onerosa tibi est (quantum ex tuis verbis perspicio) hæc defēsio. tu enim de illa, tāquam de onere quopiam, loqueris. MAR. Quasi verò, Abiicere defensionem, intelligi tātùm posſit Abiicere susceptum onus defensionis: ac non etiā, Abiicere illius defendendi consilium, siue voluntatem. CA. Vide quid agas Marce:

In causa facili cuiuis licet esse diserto.

At causa quam vis tueri, minimè facilis est. de hoc ego te pro nostra veteri amicitia præmoneo. FA. Noli Marcum à Nizolij defensione absterrere Camille: sed eū hortare vt cautius quàm antea illum excuset: ita nimirum vt excusando, simul accusare dici non posſit, atque, dum vno crimine absoluit, interim aliud nō impingat. Qualiacúque tamen erunt quæ ad Nizolij defensionem corrogauerit (nolo enim emendicauerit dicere) ea in accusationis finem reseruet. CA. Audiuit Marcus quæ dixisti: & tuum, vt opinor, consilium sequetur. ego verò ad quędam alia verba propero, quibus miras expositiones (non audeo enim ineptas dicere, ne Marcum offendam) adhibitas esse recordor. EMERGO, *Exeo, Euado, Aperio.* Quis hoc arcanum nobis aperiet, Emergere esse interdum idem quod Aperire? Venio ad aliud, quod nō procul abest.

MO, *Coemo, Mercor, Paro, Comparo, Cau-*
onor, Nundinor, Pecuniam in aliqua re colloco.
cio *Cauponor* idem esse quod καπηλεύω: &
ihilo magis Cauponor esse idem quod
mo, quàm καπηλεύω est idem quod ὠνέομαι,
iue ὠνοῦμαι. FA. Idem & ipse dico. CA. Audi
uandam non minus vel potius multo ma-
gis ineptã expositionem verbi Cresco. Scri-
bit enim, CRESCO, *Augesco, Adaugesco, Ac-*
cresco, Adolesco, Exolesco, *Mano, Serpo,* &c. FA.
Ineptam expositionẽ dixisti ὑποκοριζόμενος.
Illa enim qua dicitur *Cresco* accipi pro *Exole-*
sco(ea autem est, opinor, de qua & tu id dixi-
sti) non inepta tãtùm & ridicula, sed omni-
no falsa est. Itáne verbum Cresco non mi-
nꝰ Exolesco quàm Adolesco significare cre-
dituros lectores putauit Nizolius? Sed cõ-
sulamus editionem Basiliensem, (quanuis
eam non amplius adhibendam in cõsilium
dixerimus) vt videamus an hîc Nizolij ho-
nori consultum in ea fuerit. CA. Nondum
procul abest. Vides vt hæc quoque Nizo-
lio suum Exolesco intactum reliquerit? FA.
Et video, & miror: præsertim quum illius e-
ditionis titulus modonõ montes auri pol-
liceatur. CA. Recordor nunc & cuiusdam
significationis quæ verbo *Accipio* datur ab
eodem: quæ tibi non minus noua, vt opi-
nor, erit, quàm earum vlla de quibus facta

fuit hactenus mentio. FA. Quærendum est igitur verbum illud. CA. Audi. ACCIPIO. *Capio*, *Recipio*, *Vtor*, *Interpretor*, *Intelligo*, *Mutuor*. Vt taceam de expositione postrema, qua docemur *Accipio* esse interdum idem quod *Mutuor*, qualis est illa, obsecro, qua exponitur etiam *Vtor*? FA. Interroga etiã qualem esse oporteat lectorem cui hoc à Nizolio persuaderi possit. CA. In mentione verbi Intelligo (nam Accipio vides cùm aliis verbis tum etiam hoc exponi) venit mihi in mentem miræ cuiusdam expositionis verbi etiam illius, quam aliis quamplurimis adiicit. Vísne omnes recitem? FAB. Quídni? CAM. Vereor vt sine tædio audire possis. CA. INTELLIGO, *Cognosco*, *Sentio*, *Teneo*, *Capio*, *Percipio*, *Interpretor*, *Mente complector*, *Cogitatione comprehendo*, *Cogitatione complector*, *Perspicio*, *Comprehendo*, *Animaduerto*, *Intelligentiam habeo*, *Accipio*, *Disco*, *Animo percipio*, *Intelligentia & ratione comprehendo*, *Ratione & intelligentia teneo*, *Animo & cogitatione comprehẽdo*, *Constrictum conscientia teneo*, *Persequor*, *Sententiam alicuius interpretor*. Quam ex his esse putas expositionibus quæ mihi risum moueat? FA. Nõ dubito quin sit ea qua Intelligo dicitur esse *Constrictum cõscientia teneo*. CA. Bonus coniector es. FA. Imò quiuis idem assequi cõiectura potuis-

et. Sed in eo à te dissentio quòd talia stomachum mihi moueant, quæ tu risum mouere tibi dicis. Sed quid, obsecro, cogitasse putabimus Nizolium, quum *Intelligo* significare etiam *Constrictum conscientia teneo* diceret? Hîc certè coniectore optimo esset opus. CAM. Videamus an hæc quoque expositio seruata sit in illa editione Basiliensi. FAB. Hoc ipsum à te petere volebam. CA. Seruata certè est à Cælio Secundo. Non dicam autem itidem me mirari quid & hic cogitaret: sed potius illā ab hoc aliud cogitante seruatam esse. MAR. Ab eo aliud cogitante dicis? vnde hoc scire potes? Animaduertit fortasis ille quò respiceret Nizolius, quum dixit, *Intelligo* significare inter alia, *Constrictum conscientia teneo*: & quod te latet, illum non latuit. FA. Imò nō me solū sed alios omnes latere puto, ipsúmque itidem Cælium latuisse. CA. Expectandum est igitur dum reuiuiscens Nizolius arcanum illud pandat. Verùm de hoc monendi fuerant lectores Nizolij, vt non frustrà se torquerent, quasdam expositiones arcanas esse & mysticas, & quæ expositione ipsæmet opus haberēt: verùm hāc ab ipso Nizolio, quum reuiuisceret, expectandā esse. MAR. Nunquámne me irridendi finem facies? CA. Nun-

quámne riſu digna loqui de tuo Nizolio deſines? FA. Ciceronianorum ſacris initiádus es Camille,vt quale ſit illud *Intelligere* intelligas. CA. Nizolianis ſacris potius. etenim ne ex ipſis quidem Ciceronianis vllum ad tanti myſterij cognitionem penetrare poſſe exiſtimo. Neque verò vllum ex Ciceronianis, qui iudicio valeat & Nizolium intus & in cute norit, adeo ſiue audacem ſiue temerarium fore puto vt expoſitionum illius, vel in iis vocabulis quæ vulgaria ſunt, patrociniũ ſuſcipiat. Audi enim, obſecro, quomodo *Odi* exponat. ODI, *Odio habeo, Odium in aliquem habeo, Inuideo, Alienum animum ab aliquo habeo, Odium alicuius rei habeo Aliqua res mihi odioſa eſt.* Quale enim hoc eſt, dicere, *Odiſſe* idem ſignificare quod *Inuidere*? Hoc ſi verum eſt, mentiuntur philoſophi, qui magnum diſcrimen inter odium & inuidiam ponendum eſſe tradunt: nugatur Plutarchus in toto eo libello quem περὶ φθόνου καὶ μίσους, id eſt De inuidia & odio, inſcripſit. FA. Quid? an vis legibus philoſophorum aſtringere Ciceronianos? CA. Dic potius Ciceronianos Nizolianos: ne veris Ciceronianis tantá fiat iniuria. Hi enim vel ex ſuo Cicerone diſcere poſſunt, quemadmodum Græco prouerbio dicitur, Χωρὶς τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα, ita etiam di-

cendum esse, Χωρὶς τοῦ μίσους καὶ φθόνου ὁρίσματα. A. Tu verò Marce quid ad hęc respondes? nónne & hîc Nizolij causam vis tueri? MA. Amplius deliberandum censeo: res magna est: vt inquit ille apud comicum. FA. Res profectò non magna est solùm, sed maxima, quę tanto separata sunt interuallo, velle coniungere. FA. Rectè dicis non Coniũgere, sed tantùm Velle coniungere. nam *in magnis* (vt dixit quidã poeta) *voluisse sat est.* FA. Miror Marcum non dixisse aliquod sub illa quoque verbi Odi expositione mysterium latere. CA. Dixisset profectò, nisi tuam irrisionem reformidasset. FA. Atqui tu illi multo hac in re molestior es quàm ego, ideóque formidabilior. MAR. Imò neuter vestrûm mihi iã est formidabilis: quippe qui aduersus omnes vestros cachinnos, omnes sannas, me armauerim. CAM. Quibus armis? MAR. Quibus se armare solebat Socrates. FAB. Sed quódnam erit ius illud quod tibi cum inermibus armato, certare concedet? MAR. Idem quo duo cum vno certatis. Verùm vt à iocis ad seria veniamus, quid si ad vocabulum *Inuisus* respexerit Nizolius, quum dixit, O*di* inter alia significare *Inuideo*? FAB. Hoc certè dicere, esset Nizolium ipsis etiam pueris risui exponere. Nã licet Inuisus dicatur qui odio

est, siue qui est odiosus, non tamen est ab Inuideor (quo vtitur Horatius) id est φθονοῦμαι: sed is est propriè Inuisus qui à Græcis, nominatímque à Sophocle, δυσθεὴς diceretur. MAR. Aliquid aliud tandẽ in mẽtem mihi venit quod excusare posse Nizolium videtur. FA. Quid illud est, obsecro? MAR. Quòd inuidiã pro odio in quibusdã loquendi generibus vsurpare Latini soleãt. Neque enim id mihi negare potes vbi dicitur AEstuare inuidia, vel Ardere inuidia, vel Flagrare inuidia, aut etiam Conflagrare inuidia, vel Conflagrare incendio inuidiæ: (nam his quoque vtitur Cicero) item vbi dicitur Concitare alicui inuidiam, vel Conflare, aut Parare: & Rapere aliquem in inuidiam, vel Trahere, vel Adducere. Itidémque vbi aliquis Capere inuidiam vel Colligere inuidiam dicitur, aut etiam Cumulare sibi inuidiam. FA. Quàm prodigus es exemplorum. An timebas ne ego hanc nominis Inuidia significationem in dubiũ vocarem? Tantum certè abest vt id facturus fuerim, vt etiam de adiectiuo Inuidiosus, quod itidem pro Odiosus ponitur, cõmonefaciendum putarim, si fortè prætermitti à te viderem. CA. Gratiam habeto Fabio Marce, operam tibi nauanti. MAR. Atqui nequaquam de his mihi assentiretur, si

quicquam

quicquam ad causę meæ defensionem profuturũ existimaret. CA. Itáne causam tuam appellas? MAR. Non causæ meæ, sed causæ Nizolianæ, dicere volui. FA. Imò tibi id excidit imprudenti quod sentis quidem, sed cupis dissimulare. MAR. Quid illud est? FA. Causam tuam agi tibi videri, quum Nizolij causa agitur. CA. Non immeritò certè hoc dicit Fabius. quis enim nescit accusari Ciceronianos, quum accusatur Nizolius? FA. Ne dixeris tantùm Ciceronianos, ne videaris de omnibus loqui: sed adde Nizolianos. Nolo enim veris Ciceronianis iniuriam fieri. MAR. Hunc de Ciceronianis sermonem missum facias velim, & siquid habes quod iis quæ à me pro Nizolio dicta sunt opponendum existimes, ad id quamprimùm venias. FA. At ego te attentum esse velim: quandoquidem tanto illud audiẽdi desiderio teneris. Primùm significationẽ illam nominis Inuidia, qua dicitur de odio, ex vulgi abusu natam esse dico. Neque enim dubium est quin vulgus, vt alia multa quæ aliquid affinitatis habent solet confundere, ita hæc quoque confuderit: atque hinc illa superiora aliáque nonnulla eodem pertinentia loquendi genera profecta fuerint. Deinde, etiamsi Inuidia pro odio positum inueniamus, non tamen & vicissim

Odium in significatione inuidiæ inueniri. multo igitur minus debuisse Nizolium Odi exponere Inuideo. MAR. Vnde verò fidem mihi facies, ex vulgi errore ortum esse vt Inuidia de odio in illis sermonis formulis poneretur? FA. Vel ex principio illius libelli cuius paulo antè mentionem feci. MAR. Illiúsne libelli Plutarchi? FA. Certé. Prima enim illius verba sunt hæc, Οὕτω δὴ καὶ δοκεῖμεν τοῦ μίσους διαφέρειν ὁ φθόνος, δεῖ ὁ αὐτὸς ἔ. M. Atqui nõ dicit δοκεῖ τοῖς πολλοῖς, sed tantùm δοκεῖ. FA. Hoc saltem fateberis, rationi esse consentaneum vt ea in re aliísque huiusmodi vulgus potissimum falli dicamus. MAR. Si ea in re erratur, à vulgo potius quàm à doctis errari crediderim: sed nondum inter nos de errore conuenit. Neque verò si quis illa tantùm verba legat, minus datiuum ἐμοὶ quàm illum quem dicis, subaudire possit. Idémque & in Latino sermone dicendum erit de verbo Videtur, si Græca illa his Latinis reddas. Sic etiam inuidia nihil ab odio differre sed eadem res esse videtur. FA. Fateor fieri posse Plutarcho iniuriam, ab aliquo qui hæc eius verba tanquam de suo sensu iudicantis afferret: verùm mala eius fides statim deprchenderetur, vel ex iis quę proximè sequuntur. CA. Miror verò tale illius libelli principium, Οὕτω δὴ καὶ δοκεῖ. FA.

Mirarer & ego hæc verba, si ab iis Plutarchum sumpsisse initium existimarem: ac nõ potius, hęc quę de odio & inuidia legimus, esse longioris cuiusdam & latius patentis disputationis ἀπόσπασμα, persuasum habere. CA. Quid ais? ἀκέφαλος est hic liber, siue hæc disquisitio? FA. Quis talem esse non fateatur? CA. Illam igitur voculam οὕτω hæc cum præcedentibus iungere existimas. FA. Nimirum. Continuari enim eum sermonẽ existimo qui institutus esset de aliis quæ à vulgo solent confundi, quum tamen non paruum à literatis discrimen inter ea ponatur, poníque debeat. Sed facessat Plutarchus, reuertatur Nizolius. MAR. Satis agitatus est, vel potius exagitatus, illę Nizolij locus. CA. Ideo ad alium transeundum est. FA. Nónne ad aliam orationis partem trãseundum censęs? CA. Nondum: quia memoria mihi quædam insuper suggerit verquorũ expositiones nobis sunt itidem pugnandæ. Atque adeo hoc ipsum verm *Oppugno* in illo est numero: quippe d ab illo cùm aliis modis tum verò *Proponitur*. Nec tacẽdum *Erogo*, quod dinificare *Curo*: hunc Ciceronis locum gens, *Erogasti pecunias ex ærario tuis le-s.* & alios addens in quibus verbum ild de pecunia itidem dicitur. Quid quòd

idem ille Ciceronianorum antiſtes *Caſtigo* exponit *Obiurgo*? MAR. Vide ne tuæ memoriæ nimium fidas. CA. Non illi ſed tuis tantùm oculis fidere te volo. ecce locum. FA. Quid iam dicis Marce? MAR. Me mirari. Potuit tamen exponi Obiurgo, ſed alia expoſitio adiungenda fuit. FA. Imò ne ſic quidem locum habuiſſet illa expoſitio: ſed dicendum fuiſſet, *Caſtigo uerbis* eſſe *Obiurgo*. MAR. Atqui non ſemper additur hic ablatiuus. FA. Vbi non additur, relinquitur ſubaudiendus, vt grammaticorum vtar vocabulo: eodémque modo datiuus *uerberibus*, in altera ſignificatione. Sed quum ſine adiectione ponitur, frequentius atque viſitatius de hoc quàm de illo caſtigationis genere dicitur, ac ſępius hic ablatiuus *uerberibus*, quàm ille *uerbis*, prætermittitur. At ſequendo Nizolium, etiam vbi pater dicitur caſtigare filium, non aliud intelligendũ erit quàm filium obiurgare. quum tamen contrà nemo ſit qui hîc non potius κολάζειν quàm ſimpliciter νουθετεῖν verbo Caſtigare ſit intellecturus. MAR. Sed nimiũ leni verbo vteris quum νουθετεῖν dicis. FA. Vis σωφρονίζειν dicam? MAR. Hoc quoque nimium lene fuerit. Deinduſtria (vt opinor) retices ἐπιτιμᾶν & ἐπιπλήσσειν. F. Multo aſperiorẽ eſſe τὴν ἐπιτίμησιν fateor quàm ſit νουθέτησις, &

σωφρόνισις, siue σωφρονισμός: quinetiam ἐπίπληξιν maiorem quandã asperitatem præ se ferre quàm illã ipsam ἐπιτίμησιν: sed tamẽ castigationẽ filij tanto his omnibus esse asperiorem quanto verbera verbis sunt asperiora. MAR. Quid? an nullus pater est, Fabi, qui non sit Demea? FAB. An nullus pater est, Marce, qui non sit Mitio? MAR. Nimium certè mitis erat Mitio: vtpote ne ἐπιτιμητικὸς quidem: quantum ex versibus istis coniicere possumus,

Amat? dabitur à me argentum dum erit commodum.
Vbi non erit, fortasse excludetur foras.
Fores effregit? restituentur. Discidit
Vestem? resarcietur. est (dijs gratia)
Et unde hæc fiant, & adhuc non molesta sunt.

Sed vicissim nimiũ Demea erat φιλεπιτιμητὴς, nimium fuerat φιλεπιτιμητὴς & Menedemus. At ego eum etiã patrẽ qui rebus quę κόλασιν poscunt ἐπιτίμησιν tãtùm adhibeat, Mitionẽ vocandum esse dico. C. Fabius haud negat, Marce, patrem castigare filium posse dici, etiam quum illum obiurgat tantummodo: sed tamen, vbi nihil adiicitur, id est, non dicitur Castigare verbis, sed tantùm Castigare, rationi consentaneum esse dicit vt de obiurgatione illa intelligatur quæ ad verbera vsque progreditur. Quod si ita est, nõ

debuit Nizolius illa verbi Caſtigare expoſitione eſſe contentus, vt diceret eſſe Obiurgare. Alioqui certè fatetur, abſque adiectione etiam dictum Caſtigare, eſſe interdum nihil aliud quàm Obiurgare, ſiue Increpare. Legimus enim inter illos Ciceronis qui à Nizolio afferuntur locos, *caſtigemus etiam ſegnitiem hominum*. Itidémque apud Liuium, *Caſtigarétque ſegnitiem populi*. Sic verò & qui apud Maronem, vel potius quę (nam de formicis loquitur) *caſtigant moras*, dici poſſunt caſtigare ſegnitiem: quanuis non idem hoc in loco quod in illis ſegnitiei ſit genus. FA. Nonius tamen aliam expoſitionem huius verbi in illo Maronis loco commentus eſt. CA Quam? FA. Vt Caſtigare ibi ſit Expedire. CA. Sed quid erit Expedire moras? FA. Fateor expoſitionem hanc alia expoſitione opus habere. CA. Apud me quidem certè opus habet. FA. Sic & aliæ multæ eius expoſitiones expoſitores deſiderant: & quædam non tam expoſitores quàm correctores. CA. Ne ipſe quidem Martialis, vt opinor, illam explicationem vel intellexiſſet, vel intellectam approbaſſet, vbi illud genus loquendi imitans dixit, *-iã tumidus uocat magiſter, caſtigátque moras*. FA. Perſequere, obſecro, tuum illum ſermonem. CA. Dicebam, à te non nega-

ri quin Castigare, sine adiectione etiam, pro Obiurgare duntaxat positum inueniatur: additurúsque eram locis illis in quibus ita accipi necesse est, etiam alios. FA. Eos velim nūc addas. CA. Hoc inter alia dicturus eram: videri mihi verbū istud valde proprium de segnitiei & segnium obiurgatione fuisse: quum ad illos quos attuli locos accedat hic Cæsaris, lib. I, De bello ciuili, *Segniores castigat atque incitat.* Alioqui tamē de qualibet etiam obiurgatione, id est, ob quodlibet erratum siue peccatum, dictum fuisse, minimè sum nescius: idémque & in deriuatis spectari, Castigatio, Castigator, Castigatus, Incastigatus. Nam apud Horatium seni à natura hoc est insitū vt sit castigator minorum. Apud eundem legimus,

Nec me dimittes incastigatum, ubi plura
Cogere quàm satis est ac non cessare videbor.

Et quoniam in horum eius locorum mentionem incidi, addam huic & tertium qui quandam sibi peculiarem habet significationem. Is est in Arte poetica vbi Castigare pro Emendare dicit,

Vos ô Pompilius sanguis carmē reprehendite
quod non
Multa dies & multa litura coercuit, atque,
Perfectum decies non castigauit ad unguem.

Verùm vt ad illam de qua nūc agitur signi-

ficationem reuertar, eam nimirum qua pro Obiurgare siue Increpare ponitur, vt in ea Castigare absque adiectione plerisque in locis inueniri fateor, ita illi in nõnullis adiectum inueniri dico ablatiuum Verbis vel Dictis: & quidem ab ipsis etiã poetis. Huius saltem versus recordaberis, vt opinor, Marce, qui apud eorum principem extat,

Hic grauis Entellum dictis castigat Acestes.

Cur verò addidisset *dictis*, nisi timuisset ne Castigat de verberibus potius intelligeretur ab iis qui locũ hunc non perlegerent? MAR. Existimas igitur priorem & magis propriã esse illam significationem verbi Castigare qua ponitur pro Punire, quàm eam quæ tantùm pro Obiurgare, seu Increpare. CA. Existimo equidem: & in eo assentior Fabio. MAR. At Nonius ab vtroque vestrûm dissentit, qui priùs huius quàm illius significationis mentionem facit. CA. At nos tam in ea re iudicio caruisse Nizolium respondemus, quàm in eo quòd Castigant moras exposuit Expediunt. M. Ego verò pro Nizolio respondeo, has significationes operas mutuas quodammodo tradere dici posse: quum vt Castigare dicimur aliquem non solùm verbis sed etiam verberibus, id est, nõ solùm obiurgare, sed etiam verberare: ita etiam verbera obiurgatrici (vt ita dicam)

nguæ tribuantur ab Horatio. CA. Vtitúrne
oratius verbis illis? MA. Nequaquã: (ideo
lut veniã petens, addidi, Vt ita dicã) ſed
cit *patruæ uerbera linguæ*. Hinc etiã *Verbe-*
re cõuitio tacitæ cogitationis dixit Quint⁹ Ci-
ero: itẽ, *Mirificam mihi uerberationẽ cessationis*
iſtola dediſti. Sic verò & Græco ἐπιπλήττειν,
uum ſonet Increpare, ſeu Obiurgare, ſub-
ſe quãdam verberationis ſignificationem
i eius origo ſpectetur) non ignoratis. FA.
t tu in eo quod de voce illa Verberare di-
ſti, te à tuo Nonio diſcedere ignoras for-
ſſe. M. Ignoro ſané. F. Tu igitur ab illo hoc
uoque ſcribi ſcito, Verberare non ſolùm
verberibus ſed à verbis etiam eſſe dictum.
AR. Non adeo certè in Nonij verba iu-
aui vt hoc etiam credere neceſſe habeam.
A. Multo etiam minus in ipſius Nonij ver-
a iurabis, vbi quas in eum Henricus Ste-
hanus ſcripſit animaduerſiones legeris.
AR. Huiúſne etiam loci mẽtionem facit?
A. Ita: & dicit minimè hoc dictu rũ fuiſſe
i ſciuiſſet aut recordatus fuiſſet eundẽ ver-
o Ferire vſum tribui quẽ illud in Plautino
abet loco, qui ei hoc comminiſcendi an-
am præbuit. Sed tu, mi Marce, ſicut in No-
ij verba iurare non vis, ita & in Nizoliana
ne poſthac iurato, ſed potius iudicem tam
iniquum (de iis quæ ad ſermonem Cicero-

nianum pertinent) eiurato. Alioqui vide ne verba ad rem conferamus: id est, ne post lõgam de castigatione disceptationẽ, tuæ castigationi manus admoueamus. MAR. Nouè certè Terentiano illo genere loquẽdi vteris. Sed quænam erit illa castigatio? Non ea erit, opinor, quam Vlpianus castigationem fustium appellat. FA. Non equidem: sed ea quæ à iurisconsultis castigatio modica vocatur. MAR. Quænã ea est? CA. *Iuridici certant, & adhuc sub iudice lis est.* MAR. Itáne Fabi non intelligis quid mihi mineris? FA. Egóne minari velim quod non intelligam? MAR. Intelligis ergo quod iurisconsulti non intelligunt, si verum est quod Camillus dixit. FA. Imò, quanuis quænam fuerit à veteribus iurisconsultis appellata castigatio modica non minus dubitẽ quàm à Bartolo, Baldo, Accursio, & ab Alciato post illos, aliisque post Alciatum dubitatũ fuit, quæ tamen ea sit de qua vti aduersus te cogito castigatio modica, satis superque intelligo. CA. Apage mihi omnem hunc sermonem, qui nos ab illa nostra inquisitione potest ἀπάγειν. Iam enim mihi memoria excidere incipiunt permulta quæ ad eam pertinent. FA. Tãtùm aperiendus est liber Nizolij, alia statim exempla emergent. CA. Iam nunc aperiam. Incidi certè iam in vnũ

FIO, *Consto, Conflor, Euado, Euenio, Accido.* FA. Quid hîc agũt *Consto* & *Euado*? CA. Ipse ex te hoc ipsum quærere volebã. FA. Id ipsum igitur cuius sum nescius, ex me scire volebas. CA. At ego te nescire nesciebam. Audi verò & verbi Fungor expositionẽ. FUNGOR, *Efficio, Colo.* Idem hîc ex te quæro de verbo *Colo*, quod modo de *consto* & *Euado*: an idem respõdes? FA. Idem. CA. Audi nũc & compositi Perfungor expositionẽ. PERFUNGR *Vtor.* An de hoc *Vtor* non aliud à te responsum accipiam? FA. Non aliud. CA. NOTO. *Animaduerto, obseruo, Designo, Constituo.* An de hac quarta expositione respondes illud ipsum? FA. Ipsissimum. CA. Verbum autem DICO, cùm alia significat, si illi credimus, tum verò *Ago.* FA. Fortasse perperam pro *Aio* scriptum fuit. CA. Imò ibi præcedit illud *Aio.* Audi verò & verbi *Declamo* expositiones. DECLAMO, *Valde clamo, Exerceor, Ludo.* Quem hîc locum habet verbum *Ludo*? vt de *Exerceor* taceam. FA. Ipse de illa expositione interrogare te voluissem. CA. Venio ad quasdam periphrasticas expositiones. An igitur INCIDO, producta media syllaba, idem esse dicis quod Securim iniicio? vel INCHOO, idem quod Sementem facio? FA. Si de alterutra expositione assentiendum

illi eſſet, minus de hac quàm de illa aſſentiri grauarer. CA. At ego maluiſſem *Fundamenta iacio*, quàm *Sementem facio*. FA. Neq; verò à me aliter hoc probatur quàm velut è duobus malis minus. CA. Quædam autẽ ſunt verba quibus non vnam tantùm expoſitionem periphraſticam, ſed pleraſque tribuit, (aliis intermiſtas) & quidem quæ non duobus ſolùm ſed pluribus verbis conſtãt. FA. Tales quaſdam periphraſes antea mihi videor animaduertiſſe inter eas quas attuliſti: ſed quænam hæ ſunt quæ nunc in mentem tibi veniunt? CA. Attende quomodo *Attendo* exponat. ATTENDO, *Animaduerto*, *Animum attendo*, *Noto*, *Diligenter percipio*, *Attento animo ſumma cum benignitate audio*, *Mentem auréſque erigo*, *Silentium orationi alicuius tribuo*, *Animum & mentem adhibeo*, *Aures ad alicuius uocem admoueo*, *Attentum animum ad decoris cõſeruationẽ teneo*, *Adſum animo*. Quæ eſt tua de his periphraſibus ſententia? F. Bonas malis eſſe permiſtas. C. Hæc verò, *Mentem auréſque erigo*, vllóne modo ferri poſſe tibi videtur? F. Nequaquam. neque enim Mentem & aures erigere eſt Attendere, ſed potius Præparare ſe ad attendẽdum. C. Hoc certè vel vnus ex iis Ciceronis quos affert locis, docere eum & potuerat & debuerat: *Erigite mentes auréſque ueſtras, & me de*

inuidiosis rebus (ut ille putat) dicentem attendite. Lubenter autem Cicero vni eidémque verbo nomina duo iungit, quorum vnum ad corpus, alterũ ad animum pertinet, & quidem ab illo ad hunc transferens. Nam vt hîc Erigere mentibus tribuit, ab auribus, parte corporis, mutuatus, ſic alibi in verbo Admouere idem ſibi permittit: vbi ſcribit, *Mentes ueſtras, non ſolùm aures, ad aruſpicum uocem admouete.* Simul autẽ lenitur hic verbi Admouere vſus. durius enim alioqui videri hoc poſſet Admouere mentem, quàm vt Ciceronis ſermoni conueniret. FA. Pulchra ſanè hæc obſeruatio. CA. Eam Henrico Stephano acceptã fero, ſicut & quaſdam alias ad Ciceronianum ſtylum pertinentes: ſed quum huius alia quædam inſignia exẽpla mihi protulerit, nunc illorum duntaxat poſſum recordari. FA. Si fortè in eorum memoriam redieris, à te mihi communicari velim. Sed vnde ſubortus eſt Marco riſus? Aliquid ego in ſermone meo peccaui, aut ſaltem peccaſſe illi videor: id eſt, nõ ſatis Ciceronianè dixiſſe. CA. Scio quid ſit: non ſatis Latinum eſſe putat illud genus loquẽdi, Redire in memoriam alicuius rei. MAR. Ciceronianum quidem certè haud eſſe arbitror. FA. At mihi, qui Ciceroniani nomen minimè affecto, Latinum eſſe ſa-

tis fuerit: ſed tamen non Latinum ſolùm ſed Ciceronianum etiam eſſe contendo. CA. Vide Fabi ne aquilam cornix prouocaſſe dicatur. FA. Imò Dareti prouocanti Entellus reſtitiſſe dicetur. MAR. Saltem apud Nizolium exemplum illius loquendi generis extare non puto. FA. More multorum Ciceronianorum facis, quum Ciceronianam Latinitatem chartarum Nizolianarum finibus circumſcribis. Verùm cedo mihi Ciceronis opuſculum De ſenectute. CA. Iã trepidare mihi videtur Marcus. FA. Hæc mecum legito Marce, *Sed his legendis redeo in memoriam mortuorum*. Videamus ánnon & ab ipſo Nizolio ſit annotatum hoc exemplum. CA. Imò iam ſatis Marcum pudefeciſti. nónne vides illum propemodum καταδύεσθαι ὑπὸ τῆς αἰσχύνης; Græca enim hyperbole vtendum eſt, quum Latina deſit. FA. Quũ iam Nizolianũ opus in manus ſumpſiſſem, vt de loco illo cõſulerem, vide in quod periphraſεων (id eſt periphraſticarum expoſitionum) chaos, quàm rudem indigeſtámque molem (vt de alio quodam eius loco antea dictum fuit) inciderim. ACCVSO, *Cauſam uel culpam in aliquem confero, uel trãſfero, Culpam alicuius accuſo, Poſtulo, Inſimulo, Arguo, Compello, Appello, Criminor, Cito, Nomen defero, Diem dico, In crimen uoco, Aliquem*

reum cito, *In iudicium uoco*, *Ad iudicium uoco*, *Reum facio*, *In reos refero*, *In iudicium capitis uoco*, *Litem intendo*, *Litem infero*, *Mulctam peto*. CA. Multáne superſunt? FA. Vix tertiã partem recitaui. Attende. *Litem capitis in aliquem infero*, *Capitis aliquem arcesso*. CA. Ah desine. non times ne vtriuſque noſtrûm aures chaos illud nõ dicam obtũdat, ſed obruat? FA. Rectè mones: deſino. Sed nihílne hîc examinabimus? CA. Non certè quod examinemus, ſed otium potius deeſt. FA. De illa ſaltem expoſitione diſſeramus qua dicit *Accuſo* eſſe *Mulctam peto*. MAR. Quid? illam tu improbas? FA. Improbo quidẽ certé. MAR. At ego contrà addi ab illo potuiſſe dico & *Mulctam irrogo*. Sed tu *Irrogare mulctam*, eſſe iudicis putas, non autem eius qui accuſat. FA. Méne adeo forenſium inſtitutorum (de Romano autem foro loquor) ignarum exiſtimas vt hoc neſciam? MAR. At ſi hoc nôſti, cur expoſitio illa tibi non probatur? FA. Quoniam Accuſo multo latius patere dico quàm Mulctam peto, vel irrogo. CA. Nunc recordor me legiſſe apud Budæum quod à vobis dicitur, Mulctam irrogare, non eſſe iudicis (quum tamẽ alicui verba iſta quiddam ſignificare videri poſsint quod ad iudicis officium pertineat) ſed actoris: atque apud Ciceronẽ id obſeruaſſe.

Sed tamen non video quomodo quicunque accuſat, mulctam irrogare dici debeat. Nec dubito quin tu quoque, ſi rem totã expẽderis, ſtatim faſſurus ſis, quicunque mulctam irrogat, vel petit, eum accuſare: ſed non viciſsim, quicunque accuſat, eum mulctam irrogare, vel petere. M. Eadem ratione apud Nizolium multa poſsis improbare, & quidem ex iis ipſis quæ ad huius verbi *Accuſo* expoſitionẽ affert: veluti quũ dicit, eſſe *In iudicium capitis uoco* ſiue *arceſſo*, vel *Litem capitis in aliquem infero*, ſiue *Capitis aliquem arceſſo*, *In capitis periculum uoco*, *Periculum capitis infero*, *In diſcrimen capitis adduco*: item quum dicit eſſe *Aliquem ambitus crimine arceſſo*, item *Actionem perduellionis alicui intẽdo*. C. Atqui hæc afferre, non eſt Nizolium excuſare, ſed ampliorem eius reprehendẽdi materiam ſuppeditare. Eſto enim, Nizolium non ignoraſſe, Accuſare eſſe genus, at illa eſſe ſpecies: an ſatis fuit hoc ſcire? an ideo lectori ita confuſa illa debuit exhibere? Sed enim ne tu quidem qui ei vis patrocinari, tanquam expoſitiones verbi Accuſo, ab illo talia afferri negas. M. Impropriè ita vocari fateor: ſed alia in mentẽ non venit appellatio. F. Cur non potius ſynonyma, vel tanquam ſynonyma eſſe dixiſti, vt antea loquutus eras? M. Ne hæc quidem

dem appellatio locum habere hîc poteſt. FA. Tu igitur fateris multa ex iis quæ à Nizolio tanquam expoſitiones afferuntur, pro expoſitionibus minimè habēda eſſe: ſed tamen aliud vocabulum quo appellare poſſis ea, nō inuenire. CA. Fatetur Marcus quæ videt ſe nullo poſſe modo negare. FA. Nónne fateris & in eo grauiter peccaſſe Nizoliū, quòd verbis cōpoſitis apponat ſimplicia, vel ſimplicibus cōpoſita, perinde acſi idē vtrorumque vſus eſſet? MI. Profer exēpla. FA. Veluti quum *Absterreo*, idem quod *Terreo*: *Admiſceo*, idem quod *Miſceo*: *Commigro*, idem quod *Migro*. Viciſſim autem quū ſimplici verbo *Abeo* apponit compoſitum *Tranſeo*, quum item ſimplici *Ligo* apponit compoſita *Alligo*, *Illigo*, *Colligo*. MAR. Nónne quædam ſimplicia licuiſſe illi explicare putas per compoſita, & viciſſim? FA. Puto: ſed non in his aut talibus verbis. At de compoſito *Attingo*, quod exponit ſimplici *Tango*, & de ſimplici *Torqueo*, quod exponit compoſito *Intorqueo*, tacendum putaui, ſicut & de aliis nonnullis quæ mihi ſuggerebat memoria: de quibus tamen fortaſſe quiſpiā ἀκριβολόγος minimè tacere voluiſſet. CA. Exempla compoſitorum quæ malè exponuntur à Nizolio per ſimplicia viciſſímque ſimplicium quæ malè per compoſi-

ta, protulisti: sed compositorum quæ malè sint aliis compositis explicata, mentionem nullam fecisti. FA. Quasi verò possim omniũ meminisse. *Addere te hæc par est: non omnia possumus omnes.* CA. Vnius saltem exempli recordor: cuiusdam nimirum loci vbi *Consisto* exponit non solùm *Consto*, sed etiam *Insisto* & *Assisto*, &(interiectis his, *Commoror*, *Nitor*, *Pendeo*) addit *Subsisto*. FAB. Quid ais Marce? adeóne in tui Nizolij verba iurasti, vt hoc quoque credas, *Consisto*, etiam *Insisto* & *Assisto* & *Subsisto* posse significare? CA. Si Marcus vrgeri se à te videat, statim tibi religionem iniiciet. FA. Quam mihi religionem narras? CA. Mysteriorum Nizolianorum. MAR. Nunquámne me irridendi finem facies? CA. Vide quid dicas: an me putas velle religionem in risum vertere? FA. Et velitationi huic & isti simul dissertationis nostræ parti finem imponendum censeo. CA. Ab ea igitur parte orationis quam grammatici Verbum appellant, ad eam quæ Nomen ab illis appellatur transeundum fuerit. FA. Nec diligentiam fortasse nec iudicium in Nizolio perinde hîc atque illic desiderabimus. CA. Imò sibi similem esse hominẽ comperiemus, quod melius me nosse ipse potes. FA. Nulla mihi nũc exempla succurrunt ex iis quæ ad hanc ora-

tionis partem pertinent: sed dum tu ea quę in memoria habes proferes, ego librum euoluam, vt aliquod saltem poßim & ipse exhibere. CA. Verùm hoc ita fiat velim vt interim animum, aut aliquam saltem animi partem ad ea quæ à me dicentur attendas. FA. Ita fiet. CA. Ab vtris nominibus à me initium sumi libet? FA. Ab iis quæ substātiua vocantur. CA. A Paupertate igitur ordiendum erit. MAR. Mali est ominis hoc exordium. CA. Εὐφήμει Μάρκε. MAR. Σὺ οὐ μὴ δυσφήμει. CA. Ipse certè Nizolius malè ominatam Paupertatem reddit, quum eam ad Mendicitatem redigit. FA. Quid? an Paupertatem in extremo gradu, sicut & Mendicitatem, collocat Nizolius? CA. Ita. FA. Quot sunt igitur pauperes, tot erunt mendici. CA. Totidem. FA. Proh, quot mendicos vna Nizolij expositio efficit. M. Videndus est Nizolij locus, antequam tam vehementer exagitetur. CA. En tibi illum. PAVPERTAS, *Tenuitas, Angustia rei familiaris, Domestica difficultas, Inopia, Egestas, Mendicitas.* FA. Aut non legerat locum Aristophanis, aut eius non recordabatur Nizolius, quum vltimam hāc expositionem cæteris adiiceret. C. Quem Aristophanis locum ais? F. Illum qui est in Pluto, de discrimine quod est inter πτωχὸν & πένητα. negare

autem nė Marcus quidem poſsit quin πτωχοῦ & πένητος appellationes Græcæ planè reſpondeant Latinis Mendici & Pauperis appellationibus. CA. Recordaríſne illius loci? FA. Certè. CA. Recita igitur.

Πτωχοῦ μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστὶ μηδὲν ἔχοντα·
Τοῦ δὲ πένητος, ζῆν φειδόμενον, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα·
Περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδὲν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν.

Quum autē addit Ariſtophanes, καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα, videtur ad ipſam vocis πενία originem ſiue etymologiam alludere: quum πενία dicatur ἀπὸ τοῦ πένεσθαι, in antiqua illa ſignificatione qua ponebatur pro πονεῖν, ſiue ἐργάζεσθαι. Ad quam & Theſſalos reſpexiſſe crediderim quum ſeruos ſuos, πενέστας vocarunt. CA. Propriè igitur πένης (pro quo habent Latini vocabulum Pauper) fuerit is qui labore victum quærit. MAR. Sed Mendicitatem nonne fatemini Paupertatis eſſe ſororem? FA. Imò verò qui hoc dicit (eſſe nimirum τῆς Πενίας ἀδελφὴν τὴν Πτωχείαν) apud eundem poetam grauiter reprehenditur. Quum enim dixiſſet Chremylus,

Οὐκοῦν δήπου τῆς Πενίας Πτωχείαν φαμὲν εἶναι ἀδελφήν,

reſpondet Πενία,

Ὑμεῖς γ' οἶσθα καὶ Θρασυβούλῳ Διονύσιον φαθ' ὅμοιον.

CA. Sed quid Ariſtophanis loco erat opus, quum in oculos noſtros tot quotidie exēpla incurrant eius quod inter pauperes & mendicos eſt diſcriminis? Hunc igitur ſermonem miſſum faciamus, & ad alias expoſitiones veniamus, quibus Ficinus nos eodē quo illic modo πάντα ὑπὸ μίαν Μύκωνον docet ponere. Audi igitur. IMPVDENTIA, *Cōfidentia, Audacia,* Os. Atque vt hîc *Impudētia* dicitur eſſe *Audacia*: ita viciſsim, vt par pari referatur, *Audacia* dicitur eſſe *Impudētia*. AVDACIA, *Confidentia, Impudentia, Ceruices*. FA. Malè profectò de audacibus, at bene de impudentibus meretur Nizolius. quantum enim illos dedecorat, tātum hos decorare dici poteſt. MAR. Quid ita? FA. Quoniam bellicoſos viros & Martios non minus vocare oportebit impudentes quàm audaces: at verò impudentes ſuam impudentiā deriuare in Martem audaciæ principem poterunt, ſi ſuam impudentiam nihil aliud eſſe quàm audaciam, poſsint oſtendere. CA. Ad alia nobis exempla pergendū eſt: quum nulla hîc à Marco expectanda ſit excuſatio. F. Audacia nimirum & Impudētia ſilentium illi impoſuerunt. Sed Camille, antequam hinc abeamus, ex te vel ex Mar-

co(si molestum illi non est) scire velim cur Audaciam exponat etiam Ceruices. MA. Quoniam Cicero de vna eadémque re Audaciam & Ceruices dicit. FAB. Memini me alicubi legere *Tantis ceruicibus* apud Ciceronem: sed quæri locum & inuentum expendi cupio. MAR. Is est in Ciceronis Frumentaria. FA. Quærendus est. MA. Iam inueni: *Tametsi qui erunt tantis ceruicibus recuperatores, qui audeant in prouincia, quum prætor adsit, non solùm contra uoluntatem eius, sed etiam contra fortunas iudicare?* FA. An quia dixit Cicero, *Qui erunt tantis ceruicibus qui audeant*, ideo vocabulum Ceruices ipsum per se pro audacia vsurpare licebit, & *Præditus ceruicibus*, pro *Præditus audacia*, dicere? C. Eodem (vt opinor) sensu dicere potuisset Cicero, Qui erunt tam erectis ceruicibus? Tunc verò licuisset Nizolio dicere Audaciā esse Ceruices erectas. F. Nempe Ceruices demissas audaciæ aut saltem fiduciæ opponi dixisset eodem iure. Quòd si Ceruices erectas liceat exponere Audaciam, licebit fortasse Indomitam ceruicem apud Horatium exponere Feritatem: quum dicat *Indomita ceruice feros*. C A. Sed legimúsne Demissas ceruices apud eundem oratorem? FA. Non apud eum, sed apud Propertium ea verba me legere memini,

At dum demissis supplex ceruicibus ibam,

Dicebar. sicco uilior esse laar.

Minimè certè dubium est quin demissæ ceruices erectis opponantur: sed quũ dicit Cicero Tãtis ceruibus, nequaquã perinde esse crediderim acsi dixisset, Tam erectis ceruicibus, neq; erectas ceruices eum dicturum fuisse de audacia quæ à natura cuipiam insita sit, sed tantùm de sumpta fiducia. Ita enim Erectæ ceruices & Demissæ ceruices sibi videntur opponi, vt Sumere animũ & Abiicere animũ. C A. An igitur quũ ita loquutus est Cicero, Qui *erunt* tantis ceruicibus, perinde est acsi quis Græcè diceret, *Ὄντες, ἔσονται οὕτως ὑψαύχενες, vel, οὕτως ὑψηλαύχενες?* F. Nequaquam. sumpta enim est hæc metaphora ab equis. quanuis enim illis natura ceruix sit ardua, videtur tamen ita erecta, nescio quid superbiæ præ se ferre. Aliud autem est, audacem, aliud, superbum esse, C A. Quid si verò Tantis ceruicibus exponamus Tam tumidis? nam apud eundem oratorem Tumidas ceruices me legere memini. F A. Ne hæc quidẽ expositio quadrare posſit: quũ tumor ille ab ira potius proficisci videatur. C. At Ciceronis locus ille cuius nũc sum recordatus, est ex oratione in Vatinium, non procul à principio, *Repentè enim te, tanquam serpens è latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus, in-*

tulisti. Ibi quidem certè iræ mentiò fit, in iis quę proximè præcedunt, *venisti iratus omnibus. quod ego, simulac te aspexi, priusquam loqui cœpisti, quum antè Gellius, nutricula seditiosorum omnium, testimoniũ diceret, sensi atque prævidi*. An verò comparationem cum serpente in eo tãtùm esse putas quòd mentio fiat latibulorũ? F. Nihil vetat fortasse quominus ad ea etiã quæ sequũtur illam extendamus. Verùm sub ista hypotyposi vultus hominis irati, quæ comparatione illustratur, aliquid præterea latere existimandum est, nimirum irrisionem gutturis Vatinij: si verũ est strumosum illud fuisse, atque hinc petita ioci materia, ipsum Vatinium, oratorem inflatum ab eo vocari. C. Quæ tandem igitur illorum verborum explicatio inuenietur? An Tantis ceruicibus dicemus esse Tam duris, (vt quidam exponunt) & sumptam esse à bubus metaphoram? FA. Quid? an qui duriore sunt ceruice boues, cæteris audaciores existimantur? CA. Nequaquam: sed valentiores. FA. Hoc si ita est, cur nullam duritiei ceruicis mentionem faciunt neque Virgilius, neque Varro, neque Columella? Ita enim Virgilius,

optima toruæ
Forma bouis: cui turpe caput, cui plurima ceruix,

Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Vbi turpe caput vocatur quod eſt vaſtum & prægrande: atque hunc adiectiui iſtius vſum apud Varronē quoque obſeruaſſe mihi videor. Sic etiam Gallicè dicimus, *Vne grande uilaine teſte.* At Ceruix plurima dicitur quæ eſt longiſsima. Agnoſcimus autem in illo Virgilij loco iſta Varronis verba, *Ceruicibus craſſis ac longis, à collo paleaaribus demiſſis.* Columella quoque, *Ceruice longa & toroſa palearibus amplis.* At duritiei ceruicis in eligendis bubus nullà fit mentio: imò quædam illi innaſci durities traditur ab eodem Columella, libri eiuſdem (qui ſextus eſt) capite decimoquarto, quæ iugum non patiatur. CA. Quæ igitur eſt dura ceruix, à qua dicitur & Græca metaphora quiſpiam σκληραύχην ſiue σκληροβάχηλος eſſe? FA. Eadē (meo quidem iudicio) quæ & Rigida ceruix & Indomita dicitur: nōn ea quæ iugum lubenter patitur, ſed cōtrà quæ reſpuit. Ideóque Horatius *Indomita ceruice feros* dixit: ac viciſsim, *equum tenera docilem ceruice*: atque idem allegoricè loquens, *Nondum ſubacta ferre iugum ualet Ceruice, nondum munia comparis AEquare.* Denique dura ceruix ea dicenda fuerit quæ & rebellis à quibuſdā poetis appellatur. & Ceruices, ſine vlla adiectione dictum, po-

tius pro peruicacia quàm pro audacia posse accipi crediderim: vt Ceruicosus à quibusdam recentioribus vel potius recentissimis scriptoribus appellatus fuit qui est peruicax & inexorabilis. CA. Quomodo igitur illa verba Tantæ ceruices, explicare oportet? FA. Fortasse tantas intelligere debemus Tam crassas. CAMIL. An per physiognomonas ita exponere licebit? FAB. Si non per omnes, at per aliquos. MAR. Quid? an necesse fuerit eadem orationis forma vti qua vsus est Cicero, vt illum in hac voce rectè imitemur? FA. Minimè verò ea lege & velut necessitate velim te astringere. MAR. Quo igitur alio modo vti voce illa poterimus pro audacia, ita quidem vt reprehensionem vitemus? FA. Non dubito quin rectè vsuri simus vbi aliquid orationi addemus quod lectorem ad intelligendam significationem illam adiuuet. si, exempli gratia, ita loquemur, Considerate quæ sint illius hominis ceruices, qui rem eiusmodi aggressus fuerit. CA. Non minus molestus mihi est hic tam longus de ceruicibus Nizolianis sermo, quàm molestum esset onus aliquod ceruicibus meis diu sustinere. FA. Cupis igitur ceruices Nizolianas à tuis ceruicibus depellere. CA. Non cupio tantùm, sed percupio. F. Quin tu igitur nobis occa-

ſionem ſermonis aliò transferendi præbes? CA. Præbebo ſtatim. FA. Quod iam quæris nomen? CA. Auaritia. habet enim (ſi bene memini) illud quoque nomen Nizolianam quandam expoſitionem. Me certè non fefellit memoria. audi enim. AVARITIA, *Sordes, Inhumanitas, Auiditas.* FA. Miror certè quis ille ſit Ciceronis locus qui Nizoliũ in hunc errorem impulit. MAR. Tam citò expoſitioni illi errorem obiicis? Quid? nónne auari ſunt inhumani? FAB. Et quidem pluſquam inhumani eorum plerique: atque omnes propemodũ alio etiam quàm vulgari modo inhumani. CA. Quis ille eſt inhumanitatis modus? FA. Is quo in ſeipſos etiam ſunt inhumani: dum nimirum nulla in re non dicam valetudinis ſuæ, ſed nec corporis nec animi ſui rationem habent: dum non ſolùm ſuum defraudant genium, ſed in aliis etiam rebus nihilo magis corpori ſuo parcunt quàm ſi ἐν ἀλλοτρίοις σώμασι viuerent, vel omnis illorum ἐν Καρὶ eſſet ὁ κίνδυνος. Sed nónne in prodigos etiam (qui vitio auaritiæ omnino contrario laborant) cadit inhumanitas? Fateor alioqui auaritiæ comitem eſſe inhumanitatem potius quàm prodigalitati, aliiſque nonnullis vitiis: ſed ideóne auaritiæ idem quod inhumanitatis appellatione ſignificari dicere

potuit? Auaritiam Paulus Apoſtolus dixit eſſe ῥίζαν πάντων τῶν κακῶν: quidam verò τῶν ἔξωθεν συγγραφέων (vt loquuntur Græci theologi) eã appellauit μητρόπολιν τῶν κακῶν: eadem igitur ratione qua dixit illã idem ſignificare quod inhumanitatem, dicere poſſet idem ſignificare quod impietatem, perfidiã, inuidiam, rapacitatẽ, crudelitatem. Illi enim ipſi quorum modò mentionem feci Græci theologi, auaritiam omnia ſimul Dei præcepta παραβαίνειν oſtendunt. C A. Ad illud quidem certè quod attinet, cui tanquam maximo, primus à Seruatore noſtro datur locus, manifeſta eſt in auaris illius παράβασις, quum enim eo iubeamur Deum amare tota totius cordis, totius animi, totius mentis affectione, hoc tanto amore auaros aurum tantùm & argentum proſequi, & non Deo, ſed illis ſeruire, omnibus eſt longè notiſsimum: ac ſæpenumero apud ſe dicere,

Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς,
Τὸ ἀργύριον ἡμῖν καὶ τὸ χρυσίον.

Quos autem magis fore perfidos putandũ eſt quàm eos qui quum exiſtimari velint illum qui verè Deus eſt iurare, in ſui pectoris latebris non huius numen, ſed illorum, auri & argenti, numina adorant, & quum dant fidem interpoſito iureiurando, non alia numina iurari à ſe cogitant? Quis verò magis

alterius macrescit rebus opimis (vt de inuido loquitur Flaccus) quàm auarus? suas enim vnius res opimas esse cuperet. Quis magis fuerit rapax quàm is cuius rapacitas nõ magis vllis rapinis quàm mare vllis aquis expleri potest? A quo maior expectanda sit crudelitas quàm ab eo qui τὰ φίλτατα etiam velit περιορᾶν ἀπολλύμενα, si ex ea re lucrum aliquod sit reportaturus? Sed crudelitatis fortasse mentionem facere minimè necesse habui, quum ab inhumanitate, quam Nizolius eandem cum auaritia statuit, proficiscatur: quum, inquam, inhumanitas velut ingressum ad crudelitatem præbeat. CA. De hoc saltem quemlibet facilè tibi assensurũ puto, non minus crudelitatis appellatione quàm inhumanitatis, (quanuis vna mitior sit altera) potuisse Nizolium *auaritiam* exponere. FAB. Sed finis tandem est imponẽdus nostro de *auaritia* Nizoliana sermoni. CA. Ab Auaritia ad Adulteriũ transire statueram: sed interim mihi in mentem venit lepida quædam definitio, quæ ne mihi memoria excidat vereor. FAB. Hanc itaque definitionẽ illi de Adulterio sermoni præuertendam censeo. CA. Nunquámne audisti quæ sit Ciceroniana nominis Edacitas definitio? FAB. Minimè. CA. Audies igitur quod nunquam audisti. FAB. Et lubenter

quidem. CA. Sed Nizolius is erit qui te illa docebit. FAB. Ne Nizolii quidem discipulus esse erubescam. sed dic tandem quæ sit illa. CA. *Edacitas, Vitium uentris & gutturis.* FA. Quis verò Nizolio assentietur, Ciceronem ita definiisse edacitatem? MAR. Ciceronis ista sunt verba in oratione pro M. Cælio, *Vitium uentris & gutturis.* FA. Hoc fateor: sed quid tum? an Ciceronis sunt edacitatē ita definientis? CA. Locus est adeundus. MAR. Eum facilè inueniam. Audite. *Atnerò in M. Cælio, nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum æs alienum, nulla conuiuiorum ac lustrorum libido; quod quidem uitium uentris & gutturis non modò non minuit ætas hominibus sed etiam auget.* FA. Cur potius edacitatem quàm bibacitatem (liceat enim hoc vti nomine) aut saltē cur bibacitatē minus quàm edacitatem Nizolius hîc significari putet, nihil causæ video. CA. Recordaris fortasse, dū hoc dicis, voti Philoxeni, qui sibi gruis optabat guttur vt paulo longiore aut saltē non tam breui frueretur inter bibēdum voluptate. FA. Imò votum illud penè oblitō in memoriam reuocas. CA. Sed pro te facit & quidam alius Ciceronis locus, vbi lustris vinum iungit. is est Philipp. 2, *Qui omnes impuritates pudica in domo susceperis, uino lustrisque confectus.* Item 13, *In lustris, popinis-*

alea, uino, tempus ætatis omne consumpsisses. FA. Rectè, meo iudicio, idē intelligi existimas his in locis appellatione vini, quod conuiuiorum in illo orationis pro Cælio. Quemadmodum verò hæc, *quod quidem uitium uentris & gutturis*, ad conuiuiorum libidinē referuntur (neque enim mihi persuadere quisquam posit, per ventrem significare voluisse Ciceronem non τὴν γαστέρα, sed τὰ ὑπὸ τὴν γαστέρα, vt Græci interdum minus inhonesta appellatione vocant) ita quæ subiungit, *Amores autem & hæ deliciæ quæ uocantur, quæ firmiore animo præditis diutius molestæ non solent esse, nunquam hunc occupatum impeditúmque tenuerunt*, ad lustrorum libidinem pertinere puto. CA. At Nizolius an hæc illò referri animaduerterit nescio, sed in illa edacitatis definitione tanquam certissima, optimè sibi cōstare video. Nam & in voce Venter, vbi locum illū profert, *Vitium uentris & gutturis*, addit, Id est, gulositas quam vocant. Quinetiam in Appendicula ad Obseruationes, in qua recenset vocabula quæ partim pro barbaris partim pro non satis Latinis habet, pro illa voce Gulositas Ciceronianos suos iubet dicere Vitium ventris & gutturis. FA. Cur verò non & edacitatis appellationem illis permittit? CA. An hoc miraris? FA. Quis, obsecro, non miretur?

CA. Miretur quicunque non minus quàm ego diligẽter eum euoluerit,& alias quamplurimas voces barbaris,aut ſaltem parum Latinis,ab eo annumerari animaduerterit, quæ Latiniſsimæ eſſe comperiuntur. FAB. Exempla mihi aliquot proferas velim. CA. Non antè proferam quàm huic in Obſeruationes eius inquiſitioni finis à nobis fuerit impoſitus. Illud enim opuſculũ ab Obſeruationum opere eſt ſeparatum (id eſt, calci huius operis adiunctum) quanuis & in illo obſeruationes Nizolii habeamus, & quidẽ tales vt nihil alteris debere dici poſsint quod ad mouendum lectori ſiue riſum ſiue ſtomachũ attinet. FA. Ad aliã igitur nominis alicuius definitionẽ trãſeamus. C. Quid ſi nõ recorder? Imò vnius ſaltem recordor. F. Quænam ea eſt? C. Qua *Conuiuiũ* dicitur eſſe *Accubatio epularis amicorũ*. F. Valde anguſtis conuiuiũ terminis circumſcribit Nizolius, ſi cõuiuium eſſe non putat niſi quod ita definiri poſsit. MAR. In ea opinione fuiſſe Nizoliũ nõ exiſtimo. F. Imò ego nõ minus hæc verba (quæ alioqui Ciceronis eſſe fateor) ab illo eſſe poſita pro definitione nominis *Conuiuium* exiſtimo, quàm illa ſuperiora *Vitium uentris & gutturis* pro definitione nominis *Edacitas*. C. Explicationem fortaſſe potius quàm definitionem eſſe fatebitur

ebitur Marcus. MAR. Imò ego iam vobis
vel explicationem vel definitionem vocis
Conuiuium appellare permitto verba illa,
accubatio epularis amicorum, & vos nimio Ni-
zolii reprehendendi studio eò tãdem pro-
uehi dico, vt pro eo Ciceronem reprehen-
datis. sunt enim ipsissima Ciceronis verba.
CA. Quid? ánnon Ciceronis esse, paulo an-
tè ipse quoque confitebar? MAR. Non sa-
tis est dicere, Ciceronis: sed addendum, ex-
plicantis siue definientis vocem illam Cõ-
uiuium. Audi enim me locum ipsum ex Ca-
tone maiore recitantem, *Bene enim maiores accubitionem [uel accubationem] epularem amicorum, quia uitæ coniunctionem haberet, Conuiuium nominarunt. melius quàm Græci, qui hoc idem tum Compotationem, tum Concœnationem uocant: ut quod in eo genere minimum est, id maximè probare uideantur.* Quid iam ad hæc re-
spondes? FAB. Ciceronem de prima & ma
ximè propria significatione loqui quam e-
ius maiores illi voci dederint: sed potuis-
se postea conuiuium vocari illorum quo-
que accubationem epularem, qui quum a-
micitia iuncti non sint, ad easdem tamen e-
pulas fuerint inuitati: & de hac re Nizoliũ
monere lectorem debuisse. CA. Imò, ne ni-
mium reprehendendi studium nobis obii-
cere pergat Marcus, ita Nizoliũ excusemus

vt dicamus illum ſuis Ciceronianis in mentem id venturum nequaquam arbitratum eſſe. F. Ita excuſandum cenſeo. M. At ego excuſatione non tam illi quàm vobis opus eſſe dico. F. Quid? an vis palinodiam à nobis cani? M. Volo. F. Ita igitur habeto, nos non ſeriò ſed ioco definitionem illam reprehendiſſe. M. Eóne tandem confugitis? hoc certè non eſt palinodiam canere. F. Expectas forſitan vt ab illis Steſichoreæ palinodiæ verbis initium ſumamus, Οὐκ ἔς' ἔτυμος λόγος. M. An id à vobis expectandum mihi ſit neſcio: ſed hanc demum fore legitimam palinodiæ formam dico, ſiue illis ipſis verbis, ſiue aliis quæ non diſsimilia ſint vt ami-ni. F. Quin id fiat per me non ſtabit: ſed vereor vt idem à Camillo impetrari queat. Vnde verò tibi Camille riſum interim ſubortum eſſe putem? C. Riſum mihi mouet mea quædã ἀλλόκοτος ſuper illo ipſo Ciceronis loco cogitatio, quæ nunc primùm animũ meũ ſubiit. ſed eam vix expromere audeo. F. Quid ita? C. Quoniã ea ille Ciceronis locus oppugnatur. F. Vtrum ea in parte quæ ad definitionem illam pertinet? C. Nequaquã. F. *quicquid habes, age, Depone tuis auribus*. Te enim eius poetæ verbis qui plurimum à te diligitur, compellandum exiſtimaui. C. Sed neſcio quàm tutis Marci auribus id deponi poſsit. F A. An vis me Marci

quoque aures præstare? C. Quid hoc verbi est? an vis Marco deridendum te propinare? FA. Si Ciceroni præstare aliquem dicere licuit, an mihi Præstare alicuius aures dicere non licebit? CA. Per me quidem licet. FA. Marci autem risum non timeo, quum illis meis verbis aures non patefecerit. Iam igitur Camille eloquere quicquid illud est: præfatus (si ita videbitur) te non seriò loqui. CA. Imò verò eloquar, εἴθ' ὡς παίζων, εἴθ' ὡς σπουδάζων, vt ille apud Platonem dicit. FA. Quænam igitur pars illius loci à te oppugnatur? CA. Ea pars in qua Latinos accubitionem epularem amicorum melius Cõuiuium appellasse dicit quàm Græcos Cõpotationem, siue Concœnationem. FAB. Definitionem illam non reprehendis, vt antea dixisti. FA. Nequaquam: sed ipsam Ciceronis reprehensionẽ reprehendo. MA. Proh, cum quo mihi res est homine, qui Ciceronem etiam reprehendere audeat. CA. Proh, cum quo nobis negotium est homine, qui omnes quotquot vnquam fuerunt Græcos reprehendere non dubitet, & quidem in iis quæ ad sermonem pertinent: quũ inter omnes & constet & semper constiterit nullam linguam aptius, nullam felicius, nullam ornatius animi sensus exprimere. M. Nonne totum locum recitare libet? CAM.

Quídni libeat? repetam autem altius. *Neque ipsorum conuiuiorum delectationes corporis uoluptatibus magis quàm cœtu amicorum & sermonibus metiebar. Bene enim maiores accubitionem epularem amicorum, quia uitæ coniunctionem haberet, Conuiuium nominarunt. melius quàm Græci, qui hoc idem tum Compotationem tum Concœnationem uocant: ut quod in eo genere minimum est, id maximè probare uideantur. Ego uerò propter sermonis delectationem tempestiuis conuiuiis delector*, &c. MAR. Quid hîc reprehendis? CA. Ciceronem Græcos ausum esse reprehendere, id verò est (inquam) quod reprehẽdo. MAR. Quid? an honestiorem Conuiuii quàm Compotationis (id est συμποσίου) vel Concœnationis (id est συνδείπνου) appellationẽ esse negas? CA. Nego, & pernego. MAR. Atqui de ipsis etiam pecudibus vnà potantibus dici potuisset συμπόσιον: sicut de vnà vescentibus iisdem, συμβρώσιον (neque enim dicere ausim συμφάγιον) at verò hoc nomen Conuiuium non itidem commune pecudibus esse posse quisquam dixerit, quum in eo Latini ad id respexerint quod dicit Cicero. CAM. At ego & tibi & Ciceroni ipsi nego ad id Latinos respexisse: quicquam tale illis quos maiores suos vocat Cicero in mentem venisse nego. Quòd si Græci eò respicere voluissent, melius συμβιώσιον dixis-

ent quàm Latini Conuiuium dixerunt. M. Cur melius? CA. Quia non itidem ambigua illis fuisset suæ appellationis ratio. MA. Putásne igitur Latinis ambiguam esse appellationis suæ rationem? CA. Non puto solùm, sed etiam affirmo. MAR. Quæ illa est ambiguitas? vereor enim ne aliquam ipse tibi somnies. CA. Nónne ambigua est verbi Viuere significatio? an qui hoc dicet, is aliquid quod somniauerit, afferre à te dicetur? MAR. Quid aliud significat verbum Viuere quàm quod vulgo notũ est, & quod à Græcis ζῆν siue βιοῦν dicitur? C. Meritò sanè, quum de nomine illo Conuiuium loquẽs, dicerem Latinis ambiguam esse suæ appellationis rationem, nullam agnoscere in ea ambiguitatem voluisti, quum duplicem esse verbi Viuere vsum ignores. MAR. Hoc & innumerabiles alios mecum ignorare scio. CA. An tu Fabi ex illorũ innumerabilium es numero? FA. Quomodo esse ex innumerabilium numero queam? quomodo innumerabiliũ posit numerus iniri? CA. Extra iocum: tibíne ignota est illa minimè vulgaris verbi Viuere significatio? FAB. Ignota esse non poterit, tantisper dum recordabor illorum Catulli verborum, *Viuamus mea Lesbia*: vt alios aliorum poetarum omittam locos. MAR. Quid igitur ibi Viuamus va-

lere putas? FA. Genio indulgeamus, vel Genialiter viuamus. MAR. Iam ergo coniectura mihi assequi videor quid velit Camillus: nimirùm falsò à Cicerone dici, aptius esse Conuiuii apud Latinos quàm Symposii apud Græcos nomen: quòd Latini in eo nõ ad aliam verbi Viuere significationẽ quàm ad eam quam dixisti respexerint. CA. Rem acu tetigisti. MA. Sed hoc nónne tanquam à iocante dictum accipiendum est? CA. Vbi attentius apud te id expenderis, & cum tuis Conciceronianis, aut in Ciceronianitate collegis (vtrocunque modo vocare illos mauis) communicaueris, tum demum respondebo iocóne id an seriò dixerim. M. Egóne meis (vt tu vocas) Conciceronianis id communicare ausim? illósne vllam vllius Ciceroniani dicti reprehensionem æquis auribus esse audituros credis? CA. Tu quoque, vt opinor, parum æquis auribus illam accepisti. MAR. Ita se res habet: vt nihil dissimulem. CA. Apud te saltem id expendes attentius, vt dixi. FA. Vide ne Adulterii obliuiscaris Camille. id est, eius de quo Ciceronianos Nizolianos monere volebas super illa voce. CAM. Non obliuiscar. Eos sicut monueram ne fidem haberent suo Nizolio, dicenti Auaritiam idem esse quod Inhumanitatem: ita etiã monere volebam

ne illum autorem ſequerentur, vbi inter A-dulterium & Stuprum nihil diſcriminis ponit. Hæc enim ſunt eius verba, ADVLTERIVM, *rij*, *Stuprum*. FAB. Leuis certè præ aliis eſt hic error. Non cogitauit bonus vir, ſicut omne adulterium eſt ſtuprum, ita omne ſtuprum non eſſe adulterium: vel (vt breuius loquar) Stuprum eſſe velut genus: adulterium, velut ſpeciem. CA. Sed quum diceres modò Fabi, leuem præ aliis eſſe illum errorem Nizolij, intelligebáſne eſſe leue flagitium? FA. Satin' ſanus es? CA. Imò verò tu ipſe ſatin' ſanus es, qui cauſa indicta me ſtatim damnes inſaniæ? Scito enim me non tam meis quàm Nizolii verbis, aut (ſi mauis ita loquar) me in perſona Nizolii hãc tibi quæſtionem propoſuiſſe. FA. Quid? an Nizolio error eſt idem quod flagitium? CA. Lege hæc. FA. ERROR, *Erratio*, *Erratũ*, *Peccatum*, *Lapſio*, *Prolapſio*, *Fraus*, *Falſa opinio*, *Culpa*, *Flagitium*. Heus tu Marce non iam pro tuo Nizolio erubeſcis? CA. Erubuit quidẽ certé: ſalua res eſt. ac vix pudor eum (vt opinor) pro ſuo loqui Nizolio permittet. FA. Adeóne infans erit eius pudor? CA. Cur futurum dicis quod iam eſt? MAR. Quaſi verò me nunc primùm experti ſitis infantem. CA. Quid ſibi volunt hæc illius verba, Fabi? FA. Infantis appellatione aliter quàm

Horatius vtitur, pro eo nimirum cui Cicero disertum opponit. Sed de hoc Nizoliano, in erroris explicatione errore satis: à vitiis ad virtutes transferēdum nobis sermonem censeo. CA. Apertius loquere. FAB. Periculum nobis censeo faciendum ἀστοχίας Nizolianæ in explicandis virtutum nominibus: quum eius ἀστοχίαν (volui ἀστοχίαν dicere) in explicādis vitiorum appellationibus abundè iam perspexerimus. CA. Nempe ab equis ad asinos vis transire, quod ad Nizolianas siue explicationes siue expositiones attinet. FAB. Hoc si nobis contingere videā, ab asinis ad equos statim reuertemur. CA. Audi igitur Nizolianam quandam expositionem nominis *Humanitas*: & quidem multis aliis subiunctam. FAB. Quid est, obsecro, *Humanitas* Nizolio, præter id quod omnibus Latinæ linguæ peritis in mentē statim venit? CA. Aliquid quod nulli vnquam alii in mentem venisse puto. FAB. Quid tidem est illi *Humanitas*? C. *Altitudo animi quæ dicitur.* FA. Itáne verò Ciceronianorum duci Nizolio *Humanitas est altitudo animi*? Non equidem hæc scripsit ille dux ἀφ' ἵππου ἐπ' ὄνον μεταβεβηκώς, (vt tu modò nos ab equis ad asinos esse transituros dicebas) nec ἀπ' ἵππων ἐκπεσὼν, sed ἀπὸ νοῦ. MAR. Valde profectò acerba est hæc tua reprehensio, & falsa tamē

fortasse. FAB. Adeundus est ipse Ciceronis locus, vt veram esse Marcus fateatur reprehensionem, quam fortasse falsam compertum iri dicit. CAM. Ad eum iam perueni, *In liberis verò populis & in iuris æquabilitate exercenda etiam est facilitas, & altitudo animi quæ dicitur: ne, si irascamur aut intempestiuè accedentibus aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem & odiosam incidamas.* FAB. Mihi iam videor animaduertere quid Nizolio persuaserit vnum & idem esse Altitudinem animi & Facilitatem. CAM. Quid illud est? FAB. Quòd Cicero huic illud subiungat. Nam & aliis in locis, propemodum innumeris, vbi aliquod vocabulum ita subiunctum à Cicerone vidit Nizolius, interposita tantùm copulatiua seu connexiua particula, ita synonymum id esse iudicauit, vt eo alterum exponi posse censuerit, atque adeo exposuerit. Idémque & de iis intelligendum est locis vbi plura, licet ἀσυνδέτως posita, non aliter dicuntur quàm si συνδέσμοις connexa essent. Illius autem rei exempla quædam nos antea vidisse puto: sed & inter cæteras expositiones quæ dantur nomini illi Humanitas, reperientur. Quære vocem illam apud Nizolium Camille. CA. Non diu quærenda fuerit. FAB. *Humanitas, Facilitas, Lenitas, Mansuetudo, Comitas, Vrbanitas, Suauissimi mo-*

res, Benignitas, *Mansuetudo morum ac facilitas*, *Suauitas sermonum atque morum*, Lepos, *Altitudo animi quæ dicitur*. Videndi nunc sunt qui ab eo afferuntur loci. *In uestra mansuetudine atque humanitate totam causam repono*. Quinetiam ex Cic. ad Q. fr. affert, *Clementia, mansuetudo, humanitas*. Ex his nimirum locis dixit Nizolius, Humanitatem esse idem quod Mansuetudinem. Nec longo interuallo sequitur hic, ex Lælio, *Amicitia remissior esse debet & liberior & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatémque procliuior*. Ex hoc nimirũ loco idem esse Humanitatem quod Comitatem, tradidit Nizolius. Et quoniam in quadam ad Atticum epistola scripsit idem, *Tua singularis humanitas, suauissimíq; mores*, dixit etiã Humanitatẽ & Suauissimos mores vnum idémque significare. Denique quoniam ille in quodam loco operis De oratore scripsit, *Nullum est uitæ tempus in quo nõ debeat leporem humanitatémque uersari*, videmus Humanitatem illa etiam Leporis appellatione exponi. Nec dubiũ est quin eandem omnino & in cæteris expositionibus rationẽ sequutus fuerit, atque id ex aliis Ciceronis perspici locis posit. CA. Periculosam certè & parum prudentem exponendi rationem narras. FA. Sed Nizolianam tamen. CA. Nizolianam esse ne ipse quidem

Marcus negare ausit. FAB. Quinetiam fatebitur iam (sat scio) non aliud illum mouisse ad addendam & illam postremam expositionem, qua Humanitatem scripsit esse Altitudinem animi quæ dicitur, quàm quòd videret Ciceronem, quum dixisset Facilitas, addere verba illa, Et altitudo animi quæ dicitur. CA. Atqui non subiunguntur illa nomini Humanitas, sed nomini Facilitas. FAB. Nónne vides primam omnium expositionem esse illam qua Humanitas dicitur esse idem quod Facilitas? quum igitur voci huic Facilitas subiunguntur, perinde est acsi illi vocabulo Humanitas subiungerētur: vt pro Nizolio respondeam. Ac fateor certè, si verè dici queat Altitudinem animi esse idem quod Facilitatem, haud falsò dictum etiā iri nihil aliud esse quàm Humanitatem. Sed tuæ fuerint partes illud nobis, in tui Nizolii gratiam, probare: illud, inquam, quū Cicero dixit, Facilitas & Altitudo animi, vocibus idem omnino declarantibus vsum esse. MAR. Hoc ego vtinam probare possem, vt Camillum à Nizolio, id est, à Nizolii manibus, veniam suæ irrisionis petere cogerem. Sed hoc saltem mihi vterque vestrûm fatebitur, vt spero, duo illa sic à Cicerone cōiungi vt nō valde diuersa videri posśint. CA. Atqui non sibi consta-

ret Cicero si facilitatem cum altitudine animi coniungeret. MAR. Quare? CA. Quia in illo ipso libro De officiis (qui primus est) dixerat quandam esse animi elationem, à qua quod fieret, non esset virtutis, sed potius immanitatis omnem humanitatem respuentis. FA. Ipsa Ciceronis verba proferri satius fuerit. CA. *Sed ea animi elatio quæ cernitur in periculis & laboribus, si iustitia uacat, pugnátque non pro salute communi, sed pro suis commodis, in uitio est. non modò enim id uirtutis non est, sed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis.* MAR. At ego respondeo, nō de omni elatione animi loqui Ciceronem, sed de certa quadam duntaxat: & quidem de ea quæ vitiosa sit. CA. Sed innuit interim Cicero vitium hoc illi animi elationi plerunque innasci: perinde acsi diceret (ea sermonis forma vtens qua paulo pòst) Sed illud odiosum est in ea elatione animi quæ cernitur in periculis & laboribus, quòd plerunque iustitia vacat, pugnátque non pro salute cōmuni, &c. Ita enim ipse paulo pòst de eadem loquitur, *Sed illud odiosum est quòd in hac elatione & magnitudine animi facillimè pertinacia & nimia cupiditas principatus innascitur. Vt enim apud Platonem est, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate uincendi: sic, ut quisque animi magnitudine maxi-*

me excellit, ita maximè uult princeps omnium esse, uel potius solus esse. Difficile autem est, quum præstare omnibus cõcupieris, seruare æquitatem, quæ est iustitiæ maximè propria. Atq; his subiungit quæ omnino à facilitate (quam cum animi altitudine vis esse coniunctam) abhorrent, *Ex quo fit ut neque disceptatione uinci se, neque ullo publico ac legitimo iure patiantur.* Quid? quum hæc legis, non tibi videris audire quod de Achille canit Horatius, illum iura sibi nata esse negare, atque armis nihil non arrogare? Sed ipsum Horatii locum afferam,

-honoratum si fortè reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
Iura neget sibi nata, nihil nõ arroget armis.

Vide quàm procul à facilitate illa quoque altitudo animi Achillea abfuerit. Nisi fortè in Achille altitudinem animi non vis agnoscere. MAR. Elationem animi potius quàm altitudinem illi tribuendam esse censerem. CA. At ego animaduerti elatum animum & altum à Cicerone sensu eodem appellari: & quemadmodum hîc de animi elatione loquutus, non multo pòst virorum fortiũ & magnanimorum mentionem facit: ita in illo de quo nunc disceptamus loco, quum hæc duo iunxisset, magnanimum & fortem virum, statim altitudinis animi mentionem

facit, priùs tamen facilitatis. MAR. Aliquid aliud ſit hæc altitudo animi neceſſe eſt, quę cum facilitate ab eo copulatur. CAM. Imo non ipſe Cicero hæc copulat, ſed tuus Nizolius, qui hæc idem valere dicit. MA. Nónne hoc eſt copulare, dicere, Facilitas & altitudo animi? CA. Quid? nónne hæc copula longè diuerſa aut etiam contraria coniungere poteſt? an ſi Cicero diceret, Humanitas & crudelitas, à Cicerone humanitatem & crudelitatem copulari, tanquam res eiuſdẽ generis, exiſtimares? Legimus apud Naſonem *pius & ſceleratus*: an putas illum hæc tanquam vllam affinitatem habẽtia, ſimul ponere? & quidem quanuis *eodem facto*, addat? Canit enim initio libri Metamorph. tertii,

Quũ pater ignarus natã perquirere Cadmo
Imperat, & pœnam, ſi nõ inuenerit, addit
Exilium: facto pius & ſceleratus eodem.

Canit idem lib. eiuſdem operis nono,

-ultúſque parente parentem
Natus, erit facto pius & ſceleratus eodem.

Quid? an ideo *pius* & *ſceleratus* idem valere dicemus? FA. Nemo, cui alii quàm Nizoliani ſint oculi, ad diuerſa referri hæc duo non videat, etiamſi copula illa & coniungãtur. At Nizolius ſi ita cõiuncta hæc à Cicerone inueniſſet *pius* & *ſceleratus*, idem for-

tasse quod de aliis multis, licet significationem valde diuersam & fere contrariam habẽtibus, dixisset, rem vnam atque eandem vtroque declarari. CA. Quid si igitur ista,

-scelus est pietas in coniuge Tereo,

in suo Cicerone legisset? an scelus idem esse quod pietatem dixisset? FA. Quídni? M. Síccine de Nizolio, tanquam de homine insano, loqui vos nihil pudet? in his quidem certè manifestissimum est discrimen: hæc ad diuersa referri patet: ideóque nec horum nec talium vocabulorum vllam esse affinitatem dixisset. CA. At ego non minus altitudinem animi & facilitatem ad diuersa referri dico, etiamsi minus diuersæ sint harũ quàm illarum vocum significationes. MA. Ostende quomodo ad diuersa referri possint. FA. Totus locus est legendus atq; attentè considerandus. CA. Eum simul & legamus & expendamus. FA. Ne tu eum nobis recitare graueris. CA. Non grauabor equidem. *Nec uerò audiendi qui grauiter irascendum inimicis putabunt: idque magnanimi & fortis uiri esse censebunt. nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro uiro dignius placabilitate atq; clemẽtia.* Paulo altius enim repetendus fuisse videtur locus, vt facilius mens Ciceronis in his quæ sequuntur posset perspici: *In liberis uerò populis, & in iuris æqualitate,*

exercẽda etiã est facilitas & altitudo animi quæ dicitur, ne, si irascamur aut intẽpestiuè accedentibus, aut impudenter rogantibus; in morositatem inutilem & odiosam incidamus. MAR. Quomodo negare potestis quin facilitas & altitudo animi eodem referantur? CA. Sine me paulo vlterius pergere, antequam tibi respondeam: *Et tamen ita probanda est mansuetudo atque clementia ut adhibeatur reip. causa seueritas: sine qua administrari ciuitas non potest.* Quid iam ais Marce? hæc quæ de seueritate dicuntur, nónne tibi ad altitudinem animi pertinere vidẽtur? nónne Ciceronem, quod facilitatem vocauerit, nunc mansuetudinẽ atque clementiam appellare? MAR. Assequor iam quæ tua sit hoc de loco sentẽtia: sed vide ánnon Cicero, si eius hæc mens fuisset, ita potius loquutus esset; Exercenda etiam est facilitas & altitudo ánimi quæ dicitur: ne, si irascamur aut intempestiuè accedentibus, aut impudenter rogantibus, in morositatem inutilem & odiosam incidamus: aut, si nullam seueritatẽ adhibeamus, administrare ciuitatem non posśimus. CA. Tunc quidem apertius (fateor) esse potuisset, altitudinem animi ad seueritatem respicere: sed sicut ab aliis scriptoribus, sic & à Cicerone nonnunquam, orationis, quæ alioqui vniformis manere posset, mutari formam

mam non ignoras. MAR. Quod tamen respondes ad id quod tibi oppono, non mihi satisfacit. Ac miror certè cum animi altitudine facilitatem siue mansuetudinem & clementiam non tibi videri posse coniungi. CA. Imò verò, si hoc negem, ipsi etiam Platoni repugnem. apud eum enim legimus libro De legibus quinto, διὸ δὴ θυμοειδῆ πρέπειν καὶ πρᾷον φαμὲν ἑκάστοτε εἶναι δεῖν τὸν ἀγαθόν. Sed & paulo antè dixerat, θυμοειδῆ μὲν δὴ χρὴ πάντα ἄνδρα εἶναι, πρᾷον δὲ ὡς ὅτι μάλιστα. Postquam autem illis subiunxit ista, τὰ γὰρ τῶν ἄλλων χαλεπὰ καὶ δυσίατα ἢ καὶ τοπαράπαν ἀνίατα ἀδικήματα οὐκ ἔστιν ἄλλως ἐκφυγεῖν, ἢ μαχόμενον καὶ ἀμυνόμενον νικῶντα, καὶ τῷ μηδὲν ἀνιέναι κολάζοντα, addit, hoc non posse fieri nisi ab eo animo cui insit θυμὸς γενναῖος, id est, generosa quædam iracundia. τοῦτο δὲ (inquit) ἄνευ θυμοῦ γενναίου ψυχὴ πᾶσα ἀδύνατος δρᾶν. Vbi simul etiã obseruare debemus quid vocet hominem θυμοειδῆ. Quemadmodum verò hîc, postquã pœnas seuerè irrogandas esse scripsit, addit, hoc fieri nullo modo posse nisi adsit θυμὸς γενναῖος: ita etiam, antequam diceret oportere bonum virum esse etiam θυμοειδῆ, dixerat, τῷ δ' ἀκράτως καὶ ἀπαραμυθήτως πλημμελεῖ καὶ κακῷ ἐφιέναι δεῖ τὴν ὀργήν. Cur verò clemẽtem simul esse oporteat, ostendit. FA. Non absimile vero est, Ciceronem, quũ illa quæ

recitasti, scriberet, ad hunc Platonis locum respexisse. CA. Mihi quoque fit verisimile: hæc quidem certè quæ proximè sequuntur, *Omnis autem & animaduersio & castigatio contumelia uacare debet, neque ad eius qui punit aliquem, aut uerbis castigat, sed ad reipubl. utilitatem referri:* hæc, inquam, ex illo philosopho sumpta esse, affirmare propemodum ausim: ac præsertim eam huius loci partem qua dicitur, omnem animaduersionem & castigationem debere contumelia vacare. Verùm vt nostræ tecum disceptationi finem tandē imponam, Marce, tantum abest vt cum altitudine animi coniungi posse facilitatem, siue mansuetudinem & clementiam, negē, vt Platonem quoque eiusdem coniunctionis tanquam necessariæ mentionem fecisse ostēdam. Sed longè aliud est, dicere cū Platone & Cicerone, dandam esse operam vt animi altitudo facilitate temperetur (quod temperamentum paucis à natura datur) aliud, cum Nizolio dicere, idem esse facilitatem quod animi altitudinem. Postquam enim (vti iam docui) dixit humanitatem esse idem quod facilitatē, addit etiam (nonnullis interiectis) altitudinem animi. MAR. Si nobis Ciceronianis barbaros etiā scriptores citare testes fas esset, cuiusdā locum afferrem quo tibi statim silentium im-

ponerem. FA. Quos obſecro barbaros ſcriptores Ciceroniani Nizoliani vocatis? CA. Neſcis, vt olim barbaros Græci omnes populos præter ſe appellabant, ita etiam Ciceronianos Nizolianos, ſcriptores omnes præter ſuum Ciceronem, barbaros vocitare? FA. Hoc nunquam audieram. CA. Sed nos tibi iuriſiurandi tui gratiam faciemus: vel potius defendendi tui Nizolii ardens ſtudiũ gratiã eius tibi facit. ſimul etiam nos iureiurãdo adigere potes, hoc nõ eſſe prodituros, te aliquẽ ex barbaris ſcriptoribus teſtẽ produxiſſe. M. Profer igitur Liuiũ. apud eum enim locus eſt quidam vbi altitudo animi cum modeſtia & æquitate coniungitur. CAM. En tibi Liuium. FA. Putáſne te facilè locũ eſſe inuẽturum? MAR. Imò iam eſt inuentus. audite. FAB. Repete paulo altius. MAR. *Euentus eorum comitiorum docuit, alios animos in contentione libertatis dignitatíſque, alios ſecundum depoſita certamina incorrupto iudicio eſſe. tribunos enim omnes patricios creauit populus, contentus eo quòd ratio habita plebeiorum eſſet. Hanc modeſtiam æquitatémque & altitudinem animi ubi nunc in uno inueneris, quæ tum populi uniuerſi fuit?* CA. Video cum modeſtia æquitatéque altitudinem animi Liuium coniungere: ſed quid hinc probaturũ te ſperas? MA. Facilitatem quoque cum al-

titudine animi rectè coniungi. CAM. Quis hoc tibi negat? harum rerum coniunctionē si reprehenderem, non ipsum tantùm Ciceronem sed Platonem etiam (vt apparet ex eius verbis quæ protuli) reprehenderem: sed tanquam eadē cōiungi, illud verò est quod nego & pernego. ac miror certè eadem tibi toties esse inculcanda. MA. Nónne verò sicut hîc altitudo animi & modestia atque æquitas, tanquam eadem, coniunguntur, ita etiam altitudinem animi & facilitatem, tanquam eadem, aut saltem penè eadem, coniungi, dicere liceat? præsertim quū modestia & æquitas aliquam cum facilitate cognationem habeant? CAM. At ego nihilo magis de illa apud Liuium quàm de ista apud Ciceronē coniunctione tibi assentior. nam vt Ciceronem in facilitatis appellatione aliò respicere dixi quàm quum adderet altitudinē animi, ita etiam à Liuio eodē respici nego, quum modestiam æquitatémque & quum altitudinem animi dicit. altitudinē enim animi in illa adeo acri contētione libertatis dignitatísque, modestiam verò & æquitatem in eo spectandam proponi aio, quòd tandē, depositis certaminibus, tribunos omnes patricios crearit populus, contentus eo quòd ratio habita ple-

beiorum esset. FAB. In hoc tam longo de humanitate & facilitate sermone(ab humanitate enim ad facilitatem transiimus) tua humanitate facilitatéq; abusus est Marcus, qui te toties eadem sibi de locô illo inculcare coegerit: ne verò eandem tibi in hoc Liuiano molestiam exhibeat, ab hac Nizoliana humanitate(quæ idem sonat quod altitudo animi) ad aliam quampiam eius virtutem nos proripiamus. CAMIL. Vísne; tanquam à specie ad genus transeuntes, Iustitiam illius examinemus? FAB. Volo. Verùm licebítne tibi per Ciceronianos Humanitatem ad Iustitiam, tanquam speciem ad genus, reuocare? CAM. Quidni? videmus enim à Cicerone Lenitatem ad illam reuocari. FA. Sed Lenitatem eam quæ in moderatione animaduertendi versatur. CA. Hoc scio. quid tamen prohibet quin & eam quæ aliis in rebus posita sit, eodem, etiamsi minus propriè, referamus? FAB. Nihil, vt opinor. Quinetiam Comitatem adiungit Iustitię idem scriptor, De fin. lib. quinto, ibi enim de Iustitia loquutus, addit, *Cui adiunctæ sunt, Pietas, Bonitas, Liberalitas, Benignitas, Comitas, quæque sunt generis eiusdem.* CA. Audi igitur quid Nizolio sit IVSTITIA. Primùm quidem est *AEquitas*, deindè *Ius*, *Fas*, *Iustum*. Quid tu de his dicis? FA. Quid aliud

quàm esse verè Nizoliana? Nam vt ab hac voce AEquitas initium sumam, ipse Cicero non idem esse dicit quod Iustitiam, sed esse Iustitiæ maximè propriam: quum De offic. lib. I, scribit, *Difficile autem est, quum præstare omnibus cōcupieris, seruare æquitatem: quæ est iustitiæ maximè propria.* Quomodo verò Ius & AEquitas idem valere dici possunt, quum hæc passim distingui videamus? M. Sed videndum est an à Ciceronianis quoque distinguantur. F A. Ciceronianos nihil moror: ab ipso autem Cicerone distingui sat scio. M A R. Ipsa Ciceronis verba mihi proferri velim. F A B. A te verò mihi spatium ad cogitandum velim dari. C A. Recordor ipse cuiusdam loci qui est in oratione pro Cecinna, *Ex æquo & bono, non ex callido uersutóque iure rem iudicari oportet.* M A R. At ego locū hunc esse testem ἀξιόχρεων nego: nō quòd AEquum & bonū idem quod AEquitatem valere non putem: sed quoniā Ciceronem non Ius ἁπλῶς, sed Ius callidū versutúmque ei opponere video. F A. Εὕρηκα, quòd mea mihi repentè memoria locum alium suppeditauerit. Iam enim recordor à Cicerone dici alicubi *Pro æquitate contra ius dicere.* C A. Irridebit Marcus vel potius subsannabit tuum illud Alicubi. F A B. Quid? tuum verò istud Subsannabit an san-

na non excipiet? CA. Nihilo certè in tuam Sannam erit æquior. nihilo enim magis eſt Ciceronianum Sanna quàm Subſannare. F. Præueniamus quæſo illius irriſionē, quod ad meum illud Alicubi attinet. Iam enim recordor locum illum in vno ex libris De oratore extare. tu paginas quæ à læua ſunt percurre, dū ego quę ſunt à dextra percurrā. CA. Non recuſo. FA. Εὐτύχηκα iterum. ſtatim enim in locum illum incidi. Audiat igitur noſter ἀντίδικος, *Galba autem alludēs variè & copioſe, multàs ſimilitudines afferre, multáque pro æquitate contra ius dicere.* Quòd ſi fortè cōtentus his nō fuerit, tres paginas præcedentes, tres quoque ſequētes legere & relegere ei per me licebit. CA. Obmuteſcit nunc quoque Marcus. FA. Quid ſi verò locum etiam proferam qui Nizolium in hūc errorem impulit? CA. Te non tātùm ſemel atque iterum, ſed tertiùm etiam εὐτυχηκέναι dicam. FA. Statim igitur dicendum tibi erit. nam hic ipſe eſt (qui quidem in eodem libro extat) *Nam volitare in foro, hærere in iure ac prætorum tribunalibus, iudicia priuata magnarum rerum obire, in quibus ſæpe non de facto ſed de æquitate ac iure certetur, iactare ſe in cauſis centumuiralibus, &c.* Aliquam certè huius ipſius loci partem ipſemet Nizolius affert, (pro *certetur* ſcribens *quæritur*, ſed per

imprudentiam fortaſſe) ita vt lectum ab eo eſſe negari non poſsit. Quum autem in eo videret ablatiuo *iure* ſubiungi ablatiuum *aequitate*, interiecta coniunctiua vocula *ac*, ſuâ illam cuius antea memini regulam tenens, pro ſynonymis illos habendos cenſuit. Fieri verò poteſt vt in aliũ quoq; aut etiam in alios eiuſdem ſcriptoris locos inciderit, vbi horum nominum vnum alteri eodem ſubiunctum modo inuenerit. CA. Poſſum certè, & quidem ἀκολακεύτως, dicere te ἐπιτυχεῖν. Sed in reliquas nominis Iuſtitia expoſitiones Nizolianas non inquiremus? FA. Inquiſitione nõ eſt opus. nam & ipſe Marcus ſibi manifeſtum eſſe dicet (vt opinor) aliud eſſe Iuſtitiam, aliud, Fas. Quinetiam aliter Iuſtitiam, aliter Iuſtum dici, idem fatebitur. CA. Quid ſi verò Iuſtum Nizolius intellexit dictum more Græcorum, qui τὴν δικαιοσύνην vocant interdum τὸ δίκαιον? ſicut τὴν ἀδικίαν appellant τὸ ἄδικον? itidémque τὸ σῶφρον dicunt, τὴν σωφροσύνην volentes ſignificare? quinetiam aliis quibuslibet adiectiuis eodem vti modo ſibi permittunt? FAB. Gaudeo non audiuiſſe iſta Marcum. tibi enim iraſceretur, tanquam apertè Nizolium nunc quoque irridenti. CA. Viſne ad aliam virtutem accedamus? FA. Quídni velim & peruelim? ſed nos in examinandis vllius vocis expoſitionibus nolim poſthac

tamdiu immorari. CA. Animo tuo obſequar. nunc autem Nizolio cõmoda. TEMPERANTIA, *Modeſtia, Moderatio, Frugalitas, Conformatio & moderatio continentiæ & tẽperantiæ.* FAB. Quid hoc ſibi vult? dicere Temperantiam eſſe Conformationem & moderationem temperantiæ? Nónne perinde eſt acſi dicerem, Iuſtitiam eſſe Conformationem iuſtitiæ? CA. Interrogandus fuerit potius noſter Marcus. MAR. Omittis genitiuum Continentiæ. dicit enim Conformationem & moderationem continentiæ & temperantiæ. FAB. Mauis igitur dicam perinde eſſe acſi Iuſtitiam definirem Conformationem æquitatis & iuſtitiæ. MAR. Atqui Cicero Conformationem continẽtiæ & temperantiæ dixit, non item Conformationem æquitatis & iuſtitiæ. FA. Scio apud Ciceronem illa non item hæc verba extare: ſed Ciceronem illis verbis definire aut exponere voluiſſe nego Temperantiã, ac nihilo magis illis Temperantiam quàm his Iuſtitiam definiri exponíve poſſe dico. CA. Quod verò eſt tuum de tribus primis expoſitionibus iudicium? FA. Non poſſum eas non probare, quum ſumptæ ſint ex Cicerone. CA. Is tamen alibi Modeſtiam aliud quiddam eſſe vult. FAB. Ideo monere debuit Nizolius lectorẽ, illi nomini inter-

dum eandem ſignificationem tribui, quum alioqui plerunque aliam, aut aliquantũ ſaltem diuerſam, habeat. Ne ipſum quidẽ certè Ciceronem ita frequenter Modeſtiæ appellatione vſum eſſe puto, atque vbicunq; vſus ſit, aliquid adiunxiſſe puto quo auditor ſiue lector moneretur talẽ eſſe ibi eius ſignificationẽ. Sed locus nobis eſt adeundus, Tuſcul.quæſt. lib.tertio, & tertia (ſi bene memini) pagina à principio, illius quidẽ quam modò in manibus habui editionis. CA. Iam ad illum perueni. FA. Recita igitur. CA. *Veriſimile etiam illud eſt, qui ſit temperans: quem Græci σώφρονα appellant. eámq; uirtutem σωφροσύνην uocant. quam ſoleo equidem tũ Tẽperantiam, tum Moderationem appellare: nõnunquam etiam Modeſtiam. Sed haud ſcio an rectè ea uirtus Frugalitas appellari poſſit.* FAB. Hæc verba, *nonnunquam etiam*, confirmant id quod dixi. Ad frugalitatem verò quod attinet, de eo non dubitauit Nizolius de quo dubitare ſe oſtendit Cicero, quum dixit, *Haud ſcio an rectè ea uirtus Frugalitas appellari poſſit.* Quanuis enim non ignorem talem vſum eſſe horũ verborum *Haud ſcio* itidémque verbi *Neſcio*, apud Ciceronẽ, vt potius ſint arbitrantis rem ita ſe habere, quàm non arbitrantis: tamen ita loqui, nemo dixerit eſſe aliquid planè affirmare. Ex-

enim ne is quidem qui ita loqueretur, Eam virtutem rectè frugalitatem appellari posse arbitror, ita posse appellari affirmaret. Nihilò certè magis quàm si Græcè loquens diceret, μήποτε δὲ δυνατὸν ᾖ. CA. Cur Nizolium miraris de eo non dubitasse de quo dubitauerit Cicero? nónne multo audaciorē Cicerone fuisse in iis quæ ad linguæ Latinæ consuetudinem pertinent, (si tamen Ciceronem appellare audacem fas est) plurimæ iam obseruationes vel potius expositiones illius te docuerunt? MAR. Nunc saltem, dum nobis est de virtutibus sermo, maledicam istam linguam comprimere oportuit. CA. Itáne verba illa mea maledicētiam interpretaris? MAR. Ita interpretor. FA. Morosior est nunc Marcus, & quidem ideo fortasse quòd inter virtutes versari quodámodo sibi videtur. CA. Missas igitur virtutes faciam: simúlque huic inquisitioni in expositiones eorum nominum quæ grammatici substantiua vocant, valedicā: & ad eas quæ ab eodem obseruatore dantur nonnullis adiectiuis (vt iidem vocant) me conferam: si vnicum ex altero illo ordine addidero. F. Quódnam illud est? CA. *Spes*. Audi enim, obsecro, audi, inquā: si ridere libeat. SPES, *Fiducia, Expectatio, Cogitatio, Firmamentū, Perfugium, Aura, Alacritas, Lux, Cupiditas*. FAB.

Ne ipse quidem Marcus Nizolio hîc assentitur, quantum ex eius vultu colligo. ideo minimè hîc est vlla refutatione opus. CA. Liceat mihi, antequam de nominibus huius clasśis dicendi finem faciam, aliud etiã quoddam addere: vt ad philosophiã quoque pertinentes quasdam expositiones, tãquam colophonem illi adiiciam. FA. Per me licet. CAM. AER, *Cœlũ*, *Anima*, *Spiritus*, *AEther*, *Iupiter*. MAR. Scio vobis hoc, inter alia mirũ visum iri, quòd idẽ vult esse AEtherẽ quod Aerem. F. Cui verò mirum non videretur? MAR. Quid si autoritate Ciceronis illum defendam? FAB. Dicam te defensionem plusquam παράδοξον attulisse. *AEther* (inquit Cic. sec. De nat. deorum lib.) *qui constat ex altissimis ignibus. Mutuemur hoc quoque uerbum: dicatúrque tam AEther Latinè, quàm dicitur Aer*: FAB. Quid iam de Marco dicemus, Camille? nónne ipsummet velle iam suum Nizolium, qui ab hoc loco deceptus fuerit; irrideri? MAR. Imò, nihil tale cogitans hunc locum protuli, sed ab eo ipsemet deceptus fui. C. Veniam igitur tibi dabo, & ad illa alterius clasśis nomina veniam. Initium autem à nomine *Certus* sumam. CERTVS, *Non dubius*, *Non incertus*, *Compertus*, *Exploratus*, *Minimè dubius*, *Definitus*: & paucis interiectis, *Quod manu tenetur*, vel *in manibus*

habetur. FA. Errauit profectò multis in locis Cicero, errarunt cum Cicerone omnes Latini scriptores si id demum Certum dici debet quod manu tenetur, vel in manibus habetur. CA. Video Marcum hîc sui Nizolii pudere: aliò transeamus, ne maiorem illi pudorem incutiamus. CONSTANS, *Firmus, Stabilis, Grauis, Præsens, Perpetuus, Cõueniens, AEquabilis, Moderatus, Singulari constantia præditus.* FAB. Hîc quoque, vt opinor, Marcum Nizolii pudet. CA. Aliud igitur proponam. CLEMENS, *Lenis, Mitis, Mansuetus, Misericors, Humanus, Liberalis.* FA. Quid hîc agit Liberalis, Marce? Nimia certè fuit Nizolii in exponendo hoc nomine liberalitas: alioqui illud Liberalis non addidisset. MAR. Miror certè cur addiderit. CAM. Nõ minus miraberis, cum vocem Liberalis vicissim exposuisse illa Clemens. Vísne locũ proferam? MAR. Tibi fidem habeo, & me nõ minus mirari dico. CA. MODESTVS, *Commodus, Sui cognoscens.* FAB. Hîc quoque Nizolianum ingenium agnosco. & Marcũ hîc quoque pudet: subpudet quidem certé. CA. Faxo vt illum non subpudeat, sed dispudeat. PARVVS, *Pusillus, Exiguus, Modicus, Breuis, Angustus, Tenuis, Minutus, Mediocris, Modica magnitudine.* Quid hoc est, obsecro, Mediocris cum Paruus confundere,

niſi mediocritatem ignorare, aut è rerum natura tollere? FA. Noli pluribus hanc expoſitionẽ exagitare: ne Marcum hinc exigas. non vides quantus rubor eius pudicitiã ſit conſequutus? CA. Quid ais? FAB. Rogo ánnon videas quãtus rubor pudicitiam eius ſit conſequutus. CA. Quid tu pudicitiam vocas? FAB. Pudorem. CA. An verò Latinè tibi loqui videris? FAB. Nizolianè ſaltem loquor. CA. An hæc duo nomina vnum idémque ait ſignificare? FA. Ait. Sed non videris mihi fidem habere. lege ipſe. C. *Pudicitia, Pudor.* FAB. Quòd ſi pudicitia nihil aliud eſt quàm Pudor, rectè profectò ſum loquutus. CAM. Si quidem Nizolianè loqui, ſit rectè loqui. FA. Víſne hoc tibi demõſtrem ſyllogiſmo quo nullus διαλεκτικώτερος inueniri poſsit? CAM. Volo. FA. Qui Nizolianè loquitur, Ciceronianè loquitur: Qui autem Ciceronianè, is rectè: Qui ergo Nizolianè loquitur, is rectè loquitur. CA. Sed nego tibi propoſitionẽ tui ſyllogiſmi, eum qui Nizolianè loquatur, Ciceronianè loqui. FA. Contra negantem principia nõ eſt diſputandum. Fieríne poteſt vt Ciceronianorum deus (quod ad Ciceronianiſmũ attinet) non ſit Ciceronianus? MAR. Non lubenter hos χλευασμοὺς audio. CA. Refero me igitur ad illorũ nominũ adiectiuorum

expositiones. POPVLARIS, *Vulgaris*, *De populo*, *Ciuis*, *Municeps*, *Plebicola*, *Iucundus & gratus populo*, *Seditiosus*. FAB. Hoc in pleris-que Obseruationum Nizolii locis obserua-ui, cū expositionibus inauditis(& quæ verè θαυμάσια ἀκούσματα posśint appellari) locum vltimū tribuere. quod & hîc fieri videmus in voce Seditiosus. de qua nónne tu idem sentias Marce, scire percupio. MAR. Inauditam esse mihi hanc expositionem fateor: sed quæcunque mihi sunt inaudita, nō protinus improbare soleo. FAB. At ego non dubito quin populares tui statim improbaturi sint hanc expositionem, qua popularis dicitur inter cætera significare seditiosum. MAR. Quos tu meos populares vocas? F. Ciceronianos Nizolianos. MA. Video hîc inter locos Ciceronis qui afferuntur in aduerbio Populariter, quendam vbi Seditiosè & Populariter ab illo coniunguntur. FAB. Idipsum vides igitur quod Nizolium in errorem impulit: si meministi eorū quæ paulo antè diximus. ex illis enim patet eum solere ad hunc lapidem offendere. CA. Quid verò Ciceroniani Nizoliani dicent de suo Nizolio nomen *Sanus* nomine *Salubris* siue *Saluber* exponente? FA. Quid aliud, quàm non satis esse sanum qui vocem Sanus ita exponat? C. Atqui sacrilegam suam linguā

existimarent,si ita aduersus deum suum loqueremur. M. Apage istam dei appellationem. potius certè Ciceroniani Ciceronē ipsum pro deo suo haberēt, quod ad sermonē Latinum attinet. C. At nos de Ciceronianis Nizolianis loquimur. M. Sed ipsum Nizolii locum videamus. C. SANVS, *Firmus*, *Valens*, *Validus*, *Salubris*, *Saluus*, &c. Neque verò contentus fuit tam pulchram expositionem vno in loco ponere: sed vt Græco obtemperaret prouerbio, δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν, alium etiam locum ei inuenit. nam in adiectiuo INCORRVPTVS, postquā posuit *Integer*, *Purus*, *Inuiolatus*, duo illa tanquam synonyma affert, *Sanus*, *Saluber*. Sed hîc recordatus sum & cōtrarii Insanus, quo Nizolius nomen Magnus exponit. Eamus in rem præsentem. MAGNVS, *Amplus*, *Grādis*, *Non mediocris*, *Non paruus*, *Vberior*, *Bonus*, *Latè patens*, *Immanis*, *Infinitus*, *Vastus*, *Insanus*, *Longè latéque patens*. Quem tu hîc locū habere vocem illam *Insanus* dicis Nizoliane? F. Quídnam obsecro vel ab eo, vel ab eius popularibus (vt antea illos vocasti) responderi posset? C. At ego respōdebo saltē quid Nizoliū deceperit. Recordabatur ille Ciceronem dixisse Insanas substructionū moles pro magnis: (magis propriè tamen exponitur Ingentes) ideo quicunque

Magnus esset, visus illi est posse dici Insanus. FA. At de illo adiectiuo Bonus quid boni habes quod dicas? CA. Nihilo certè magis quicquam boni de hac expositione quàm de illa possum dicere: sed idem saltē hîc quod illic faciam, vt quid Nizolium mouerit ostendam. Legerat ille apud Ciceronem Bonam partem, volentem significare Magnam: itidem igitur quicunque Magnus esset, visus illi est posse appellari Bonus. FAB. Antea vicem eorum dolebam qui magni essent, quòd insanos à Nizolio vocari viderem: nunc illis inuideo quum ab eodem bonos dici video. Mirum autem est illum existimasse ita vocabula ἀντιστρέφειν, quod ad significationes attinet, vt si Insanus pro magno dicatur, vicissim etiam Magnus pro insano: si Bonus pro magno, vicissim Magnus pro bono liceat dicere. Iam autem perinde loquor acsi verum illud esset, nomina ista Insanus & Bonus pro magno posse vbiq; poni. C. Nónne optimā rationē locupletandæ Latinæ linguæ inuenisse tibi videtur Nizolius? FA. Imò facillimā quidem, sed pessimā & periculosissimam. CA. Mirum est illum Magnus nō exposuisse etiam Maximus. ita enim sæpe positiua (vt grammatici vocant) superlatiuis exponit. MAR. Sed id non facit eadem voce v-

tens. CA. Nō recordor loci cuiuſquam vbi voce eadem vtatur(volo enim verum fateri) ſed quorundam vbi poſitiua vox ſuperlatiuo nomine exponitur : quum tamen hoc ipſum abſque ſuperlatione multo plus ſignificet quàm illa in gradu ſuperlatiuo queat ſignificare. MAR. Nō aſſequar quod dicis, niſi exēplū proferas. C. In promptu eſt. INCONSIDERATVS, *Inconſideram, Inconſultus, Amentiſſimus.* Nunquid non ſolùm Amentiſsimus, ſed etiam Amens, plus eſt multo quàm Inconſideratus? MA. Iam intelligo quid velis. CAM. Quinetiam eius quod nullo à me exemplo poſſe nunc confirmari dixi, nunc mihi exempla duo ſuppetunt. Quum enim *Familiarem* dici ait Qui in intima familiaritate alicuius verſatur, nónne perinde eſt acſi diceret Familiarem & Familiariſsimum vnum eundémque eſſe? Itidémque quum Cōſtantem eſſe dicit Qui ſingulari conſtantia eſt præditus, nónne videmur nobis audire Cōſtantem dici etiam Conſtantiſsimum? MAR. Imò certè multo hæc durius dicerentur, quàm illa ſint dicta. Fateor alioqui non debuiſſe Nizolium talia quæ aliud potius ſunt quàm expoſitiones, expoſitionibus admiſcere. FA. Quid aliud noui ex Africa? CA. Méne, an Marcum, hoc ſciſcitaris? FA. Hui, quaſi me de Africa

Nizoliana loqui non intelligas, ex qua tot iam monſtra protuliſti. Quídni enim monſtra vocemus quæ ibi ſunt naturæ Latini ſermonis omnino repugnantia? CA. At ego de Thracia cogitabam. FA. Quid verò tibi nunc cum Thracia? CA. Eò tandem cogitationem meam expoſitio quædam Nizoliana adduxit, vel pertraxit potius. FAB. Dic ſodes quænam illa ſit. CA. Si modò cũ bona Marci venia eam proferre liceat. FA. Pro Marco ſpondeo. C. Audi igitur. SANGVINARIVS, *Thrax*. Quam, obſecro, nobis expoſitionis huius rationem redditurus eſt Marcus? FA. Non tenetur Marcus quãlibet Nizolii imaginationem præſtare. CA. Interim verò tibi excidit vocabulũ cui Marcus nigrum theta præfiget, vtpote longè à Ciceroniana Latinitate remoto. FA. Imò verò prudens ſciénſque illo ſum vocabulo vſus, quum minimè Ciceronianũ eſſe haud ignorarem, & pro eo Ciceronianos Cogitationem dicere neſcius non eſſem. C. Cur non potius hoc quàm illo vſus es? F. Quoniam quod animo conceperam, ita exprimere volebam vt ſtatim intelligerer: quod mihi nequaquam aſſequuturus videbar ſi cogitationis appellatione vterer. ac penè auſim dicere, Ciceronem ipſum, ſi meo loco fuiſſet, aliam ad id exprimendum quæſi-

turum, aut Græcè φαντασίαν dictũrum fuisse. CA. Vt facilius excusatum te habeat Marcus, vel potius vt tibi tantum πλάσμα condonet (neque enim quæ allegas, ἀπλαστοι te apud illum efficient) partes eius in reddenda illius expositionis ratione suscipito. FA. Suscipiam quidem illas: sed vereor vt sustinere possim. Sed μαντείαν meam saltem proferam. CA. Quídnam igitur tibi de illa animus μαντεύεται? FA. Nizolium, quum Sanguinarium diceret eum esse qui alibi *Thrax* appelletur, vel potius Sanguinariũ & Thracem, vnum atque idem significare, ad locũ quendam Ciceronis respexisse qui legitur in oratione De prouinciis consularibus, *Vt rex Ariobarzanes consulem uestrum ad cædem faciendam, tanquam aliquem Thracem, conduceret.* CA. Fortasse verò & ad alium respexisse locũ dici potest, in quo myrmillonis Thracis à Cicerone fit mentio. FA. Quis ille est locus? CA. Ex quadam Philippica, vt quidem testatur Nizolius. apud eum enim legimus, *Cic. I. A. Myrmillo Thrax.* FA. Illius etiam loci recordor: ideóque falli Nizoliũ scio, qui de Thrace dicat quod à Cicerone de Antonio dicitur. Cedo mihi volumen Orationum Ciceronis. CA. Illi tuus cubitus innititur. FAB. In sexta Philippica esse puto, non procul à fine. Vísne repetã paulo

altius? CA. Quídni? *In foro L. Antonij statuam uidemus, sicut illã Q. Tremellij, qui Hernicos deuicit, ante Castoris. O impudentiam incredibilẽ. tantúmne sibi sumpsit, quia Mylasis myrmillo Thracem iugulauit, familiarem suum?* Intelligit enim, Antonium in gladiatoria pugna (nã eum, sicut myrmillonem, alibi etiam, ita & gladiatorem appellat) Thracem familiarẽ suum iugulasse. At Nizolius, non animaduertens dici *myrmillo* pro Quum esset myrmillo, (perinde acsi Græcè diceretur *μονομάχος*, subaudito participio *ὢν*, vel vnica vtendo voce, diceretur *μονομαχῶν*) scripsit *myrmillo Thrax*, vt quem Cicero dicit iugulatum esse, sit is qui iugulauerit. CA. Vide Marce quantum fidei tuo Nizolio vel in proferẽdis Ciceronis locis sit adhibendum. MAR. Hoc à te expectabam Camille. sciebã enim te quoduis potius vadimonium deserturũ quàm hanc quoque exagitandi Nizolii occasionem prætermissurum. F. Nunquámne altercari desinetis? tu potius Camille quo cœpisti pede pergito. M. Ego verò nolim eum quo cœpit pede pergere: quoniam in multis non mihi visus est *ὀρθοποδεῖν*. F. Quid ita? MA. Quoniam qui accusationi suæ vel accusationibus suis calumnias admiscet, nõ videtur mihi *ὀρθοποδεῖν*, sed poti⁹ *σκολιοποδεῖν*, vt ita dicam. C. Itáne calumniator à te au-

dio? M. Audire potes, si aures tuæ suo funguntur officio. C. Vbi me calumniantē deprehēdisti? MAR. Vel in eo quod modò de mala Nizolii fide dixisti. scis enim illum minimè lectionem eam quam in loco illo inuenerit mutasse, sed aliquod exēplar quod ibi deprauatum esset sequutum esse. C. Egóne id vel scio, vel scire possum? nisi fortè mihi aliquid cum νεκυομαντία esse commercii existimas. F. Ne ego quidem hoc scio. CA. Vult Marcus nos scire quod ne ipse quidē scit. Alioqui dicat ille qua in editione lectio illa quam Nizolius affert, reperiatur. M. Editionem qua vsus est non posse à me repręsentari nosti: hoc te audaciorem reddit. F. Ne in illa quidem extare lectionem illam crediderim. sed tamē hoc demus propensæ Marci in Nizolium voluntati vt nos credere dicamus: & verbis illis vtamur quibus apud Platonem vtitur quidam, nos credituros esse, ἐὰν αὐτὸς κελεύῃ. Tu iam perge Camille, siue ὀρθοποδῶν, siue σκολιοποδῶν, vt Marcus nouè loquutus est. C. Ad aliam orationis partem transire statueram: verùm id priùs non faciam quàm nomē vnum adiectiuum superioribus adiecero, & nouum quoddam ac valde mirum expositionis genus in eo ostendero. FA. Lubenter nouum illud atque mirum expositionis genus au-

diam. C. MALEDICVS, *Obtrectator, Mordax, Petulans, Procax, Habens aculeos, Perfringo, Momus.* FA. Video vbi sit illa nouitas. est sanè in eo quòd nomē *Maledicus* verbo etiā *Perfringo* exponitur. Nisi autē à te præmonitus, nouam aliquam & inauditam exponēdi rationem expectassem, fideliter à te verba Nizolii recitari vix mihi persuasissem. Sed quid (obsecro) agit hîc verbum Perfringo? C. Interrogandus tandem erit Marcus: simúlq; quid agat verbum Sequor inter expositiones nominis Causa (neq; enim adiectiuis tātùm nominib⁹ illa nouitas adhibetur) quū scribit, CAVSA, *Caput, Origo, Fons, Radix, Principium, Seminarium, Semen, Stirps, Effector, Pignus, Ratio, Sequor, Nomen, Ergo, Gratia,* &c. Non enim minor & tibi (vt opinor) fuerit hîc de verbo *Sequor* dubitatio. F. Hoc saltem fatebitur nobis Marcus, talem expositionem expositione opus habuisse: huic, inquā, breui expositioni aliam adiungendam fuisse, & quidem non itidem breuem. CA. Quid si verò mysterium aliquod sub hac expositionis forma latet, quod profanis, id est, illis qui Ciceroniani non sunt, minimè fas sit vulgari? F. Non equidem absimile vero est, μυστηριώδη esse hoc *Sequor* & illud *Perfringo.* Quod si ita est, frustra Marcum interrogabimus. statim enim nobis in-

clamabit, *procul ô procul este profani.* vel Græcè, ἑκὰς ἑκὰς ἐστε βέβηλοι. C A. Reperio vicissim verbum *Sequor* expositum duobus nominibus, *Consilium, & Ratio*: sed hîc mihi videor quodammodo Nizolianam φαντασίαν assequi. F A. Imò eam non assequêris donec te Ciceronianitatis sacramento obligaueris. C A. Proh, quàm audax interim in fingẽdo nomine illo fuisti! an te hanc audaciam impunè laturum existimas, quum auditorẽ habeas Marcum, virum Ciceronianissimũ? F A B. Quid? an tibi magis impunè Ciceronianissimum quàm mihi Ciceronianitatẽ dicere licebit? præsertim quum ne Ciceronianus quidem vox sit Ciceroniana? C A. Apud Ciceronem extet Ciceronianus nécne, nescio: sed etiamsi nõ comperiretur hoc adiectiuo vsus, potuisse vti scio: quum Catonianus, quod huic omnino simile est, apud eum legatur. nam Catonianam familiam dixit in quadam epistola. F. Ego verò meam Ciceronianitatem autoritate duarum quæ apud illum sunt vocum tuebor, Appietatis & Lentulitatis. C A. Atqui hæc primùm quidem non sunt à nominibus quę eodem declinẽtur modo (adeo vt hoc perinde sit acsi tibi Antonianus aut Cæsarianus, non Catonianus, protulissem) deinde verò Ciceronem nõ σπουδάζοντα sed παίζοντα

iis esse vsum constat. F. Primùm quidem te nimium ad viuum has formationes (vt grãmatici vocant) resecare, deinde mihi quoque iocari licuisse respondeo. C. Sed quid obsecro in mentem venisse Ciceroni dicemus, vt illis Appietatis & Lentulitatis appellationibus vteretur? F. Nunquam hæc animum meum subiit cogitatio: quanuis semper Ciceronẽ in illis vocabulis Ciceronianitatis terminos prætergredi iudicauerim. C. Libétne verò audire quid ipse de illis cogitauerim? F. Quídni? C. Quum eo ipso in loco vbi illis vtitur, mentionẽ Stoicorum faciat, existimo ei subitò in mentem venisse quanta esset Stoicorum in fingendis huius generis vocabulis libertas, eámque sibi in Latino sermone concedere semel voluisse. M. Suspicatur quidem & Turnebus Ciceronem cònsuetudine Stoicorũ illa nomina fabricatum esse: sed non addit quod nunc à te adiicitur, quidnam ibi occasionẽ imitandi Stoicos Ciceroni præbuerit. FA. Gratulor tibi Camille, hanc cum tanto viro tam bellæ coniecturæ societatem: præsertim quum tibi aliquid etiam amplius in mentem venerit quàm illi, ad eam reddendam omnibus verisimilem. C. Sed ego vos non celabo, esse quod vtriq; nostrûm possit obiici: nimirum multo esse audaciorem

illam Ciceronis quàm Stoicorum fabricã: quum Stoici appellatiua ex appellatiuis tãtùm formarent (cuiuſmodi ſunt, μεγαλότης, καλότης, ἐσθλότης, χαριεντότης) at Cicero ex propriis etiam illa duo fingere ſibi permiſerit. Ignoſcet autem mihi Marcus, vt ſpero, ſi ad grammaticam artem pertinẽtia grammaticorum verbis nomino. FA. Atenim videor mihi quædam ex eadem Stoicorum officina prodeũtia nomina legiſſe, quorum multo quàm eorum quæ protuliſti audacior eſſet fabrica: quanuis ex appellatiuis (vt grammaticorum vocabulo tecum vtar) conflata eſſent. Fortaſſe autem alicuius recordabor: tu interim ad Nizolium redi, à declinabilibus orationis partibus ad indeclinabiles tranſiens. C. Atqui nulla Participiorum allata fuerunt exempla: id eſt, expoſitionum quæ illis tribuuntur. FAB. Ex iis quæ verbis dantur, iudicium fieri poterit & de iis quæ tribuũtur Participiis. CA. Pronomina quoque ſunt ex numero declinabilium orationis partium, quorum tamen expoſitiones nullas examinauimus. FAB. Quî verò id facere potuiſſemus, quum nullæ illis adiectæ reperiantur? CA. Imò poſſeſsiuis quibuſdi puto eſſe additas. Quæramus poſſeſsiuum Meus. FAB. Nulla eſt adiecta. CA. Neque verò opus fuiſſe videtur. F. Dum hoc dicis

non cogitas quis ſit vſus vel potius qui ſint vſus huius pronominis, præter illum vulgarem, omnibus notum & paſsim obuium. Ac ne longè abeamus, vel in iſto loco qui ab illo affertur, *Quod quidem ego facerem nisi planè eſſe uellem meus*, expoſitione dignum erat pronomen Meus. CA. Iam tibi aſſentior. Sed ne in nominibus quidem & verbis ſolet tantum diligentiæ adhibere Nizolius vt reconditas etiam & abſtruſas eorum ſignificationes expromat. FAB. Nemo tenetur alium docere quæ ignorat. CA. Quid ſi Marcus hæc te dicentem audierit? MAR. Et quod ab illo & quod à te dictum eſt audiui: ſed ego longa patientia occallui. ideóque iam vobis per me licet illum in omnes partes verſare. FA. Non illum ſed obſeruationes illius verſamus. CA. Ringitur Marcus: ſed tamen huic ſermoni finis eſt imponendus. FAB. Breui imponetur, ſi volueris. CA. Atqui ſpem feceras Marco audiendi aliquas expoſitionum Nizolianarum reprehenſiones in ſingulis orationis partibus. F. Metum potius quàm ſpem illi fecerã. ideóque etiamſi meam fidem hac de re obſtrinxiſſem, facilè ab eo impetrarem vt me fidẽ liberaſſe diceret, & non audita pro auditis haberet. Quum verò iam viderimus, nos, ne ſi velimus quidem de aliis orationis par-

tibus quæ declinabiles ſunt, verba facere, vllam materiam inuenturos; ad indeclinabiles veniendum cenſeo. CA. Quid? an dè harum partium vnaquaq; dicendum erit? F. De vnoquoque earum genere dicẽdum eſſet, ſi vnicuiq; pariter expoſitiones tribuerentur: ſed quum aduerbiis potius quàm aliis dentur, de his potius dicendum erit. C. Horum mihi exempla ſunt in promptu: tãtùm peto vt me attentè audiatis. F. Me quidem certè fore attentum polliceor. C. Sed pollicerísne te attentè auditurum me Nizoliano modo? F. Quis ille eſt attentè audiendi modus? C. Vt auditor ſe nõ diligentem ſolùm ſed benignum etiam & clementem præbeat. FAB. Itáne? CAM. Audi, vt mihi fidem habeas. ATTENTE, *Silentio, Attento animo*, *Benignè*, *Diligenter*, *Clementer*. FA. Sui ſimilis eſt in aduerbiorum quoque expoſitionibus noſter Nizolius. ſi tamen eum appellare noſtrum Marcus permittet. CA. Vtrum verò magis mirari oportet? an Attentè ab eo expoſitum Clementer, an Clemẽter oppoſitum aduerbio Diſſoluté. FA. Vix poſſum ſtatuere. Sed vbi id legitur? C. Hîc. CLEMENTER, *Manſueté*.)(*Diſſoluté*. Non enim illa ſeparat quæ opponi credit. F. Periculoſæ ſunt (quantum video) Nizolii obſeruationes non ſolùm in expoſitionibus

ſed etiam in oppoſitionibus, vt ita loquar. Quid verò illum mouit vt diceret Clementer & Diſſolutè opponi? C A. Hic Ciceronis locus, *Quod eſt factum clementer, diſſolutè factum criminari.* F A. Quaſi verò neceſſe fuerit Ciceronem oppoſitis aduerbiis hoc loco vti. Si igitur ita loquutus fuiſſet Cicero, Quod eſt factum iracundè, auarè factum criminari, opponi hæc dixiſſet, Iracundè & Auaré. C A. Nimirū. F. Aut, ſi vna in parte Amicè vel Beneuolè, in altera Diſſolutè vel Remiſſè poſuiſſet Cicero, hæc illis opponi idem Nizolius eodem modo iudicaſſet. C A. Sané. nec tamen magis hîc quàm in quamplurimis aliis locis mirandum eius iudicium fuiſſet. F A. Sed quid exiſtimas ibi aduerbio Diſſolutè ſignificari? C. Diſſolutè fieri dicitur à Cicerone eo in loco (vt opinor) quod non tantùm clementer fit, ſed nimium clementer. F. Locus eſt adeundus, & quæ præcedunt quæque ſequuntur, conſideranda. C. Hic eſt, oratione in Verrem ſeptima, *Non agam tam acerbé: non utar iſta accuſatoria conſuetudine, ſi quid eſt factum clementer ut diſſolutè factum criminer: ſi quid uindicatum ſeuerè eſt, ut ex eo crudelitatis inuidiam colligam.* F. Quo magis hunc locum expendo, eo magis in Nizolio iudicium deſidero, qui Diſſolutè & Clementer contraria eſſe cenſue-

rit: ac non animaduerterit eum esse aduerbii Dissolutè vsum quem dixisti: vt Dissolutè factum intelligatur quod nimium clementer sit factum. Sed iam alias aliorũ aduerbiorum expositiones affer. CAM. Visne aduerbium Diligẽter, quo, inter alia, exponitur illud Attentè, visamus? F. Quidni? C. DILIGENTER, *Accuratè, Exquisitè, Studiosè, Summa cum cerimonia, Magna cum cura & diligentia.* F. Heus tu Marce, qui primus es in Ciceronianorum albo, quum voles te maximè Ciceronianum ostendere, aliis iubẽtibus aliquid diligẽter fieri, tu summa cum cerimonia fieri iubeto: & quidẽ tũ vel maximè quũ de iis quæ ad coquorũ artẽ pertinent loqueris. C. Si Marcus essem, nõ deesset quo tuum iocũ eluderem. F. Ne (quæso) mihi inuideas quicquid illud est. C. Responde igitur. Nónne cerimonia inest sacrificiis? Hoc mihi negare noli, quum legamus apud Ciceronẽ, *Sacrificium quod fit incredibili cerimonia.* F. Negaturus nõ eram, etiamsi locum hunc non protulisses. C. Nónne de coquorum culinis, sicut de sacrificiis, *-penetrauit in æthera nidor*, dici potest? FA. Sané. C. Quum igitur talis sit sacrificiis cum culinis coquorum *συμπάθεια*, & cerimoniæ ad sacrificia pertineant, non erit irridendus Marcus, quum coquũ suum cœnam summa

cum cerimonia coquere iubebit. F. *mendosè colligis, inquit Stoicus.* M. Mēdosè colligit Camillus, sed iocosè saltem. F. Sed tibi (si verū vis fateri) hi nostri aduersus Nizolium ioci parum adlubescunt. Verùm nobis tuam de illa Nizolii expositione sententiam ingenuè declarato. M. Non recuso. F. Quænam igitur ea est? M. Si diuinare potuisset Nizolius suas Obseruationes in manus Fabii & Camilli esse venturas, expositionem illā fuisse prætermissurum. F. Expositore hæc ipsa sententia opus habet. Tu Camille perge, miniméq; Nizolio in gratiam huius dissimulatoris parce. CAM. Miratus es antea Nizolium velle Clementer & Dissolutè sibi opponi: quid si verò dicā Ciceronē Crudeliter quoque & Dissolutè inter se, eiusdē Nizolii quidem certè iudicio, opponere? F. Quid aliud dicam quàm te maius illo miraculum loqui? Quomodo enim rationi consentaneum est vt quum aduerbia Clementer & Crudeliter sint omnino contraria, quod vni eorum opponitur, alteri quoque opponatur? Talia scribere, est profectò sibi apertè contradicere. C. Scribit tamen. Audi enim hæc, aut etiam vide, si libet. CRVDELITER, *Durè, Acerbè.*)(*Dissolutè.* Nónne, Marce, quum quispiā hunc locum Obseruationum Nizolianarum legerit, vbi di-

citur aduerbium Diſſolutè opponi aduerbio Crudeliter, deinde in alterum illum incidet vbi ſcribitur idem aduerbium Diſſolutè opponi aduerbio Clementer, attonitus hærebit? Sed obmuteſcit noſter Marcus. F. Meritò certè. quis enim hîc Nizolio patrocinari poſſet? C. Nimirum à Nizolio ad Nizolium prouocare lectorem oportebit. FA. Sed putâſne Diſſolutè & Crudeliter contraria poſſe dici? C. Quídni? Si enim in eo quod diſſolutè fit eſt quidam exceſſus clementiæ, vt viciſsim in eo quod fit crudeliter, eſt quidã exceſſus ſeueritatis, nihil obſtat (meo quidem iudicio) quin duo illa, Diſſolutè & Crudeliter, opponi cẽſeamus. Verùm tu fortaſſe nõ cõſideraſti vtriuſque exceſſus ſignificationem duobus hiſce aduerbiis ſubeſſe in illo Ciceronis loco. FA. Non equidem. CA. Repetendus eſt igitur. *Non agam tam acerbè: non utar iſta accuſatoria cõſuetudine, ſiquid eſt factum clementer, ut diſſolute factum criminer: ſiquid uindicatum ſeuerè eſt, ut ex eo crudelitatis inuidiam colligam.* Perinde eſt enim, vt opinor, acſi diceret Cicero, Vt ſiquid eſt factum clementer, non tantùm clementer ſed etiam diſſolutè factum: ſiquid viciſsim ſeuerè eſt vindicatum, non tantùm ſeuerè ſed etiam crudeliter vindicatum eſſe dicam. FAB. Vel potius ita, Vt ſiquid eſt

factum

factũ clementer, non tam clementer quàm dissolutè factum: siquid vicissim seuerè est vindicatum, non tam seuerè quàm crudeliter vindicatum esse dicam. CAM. Tibi assentior. Cæterùm dici fieri dissolutè quod non fit satis seuerè, hic quoque locus ostendit initio Philipp. sextæ, *Audita nobis esse arbitror, Quirites, quæ sint acta in senatu, quæ fuerit cuiusque sententia. Res enim ex Cal. Ian. agitata, paulo antè confecta est: nunus quidem illa seuerè quàm decuit, non tamen omnino dissolutè.* Aliquanto pòst autem scribit, *Quæ quum ita sint, non omnino dissolutum est quod decreuit senatus.* FAB. Quis autem est Ciceronis locus in quo Dissolutè & Crudeliter sibi opponi Nizolius iudicauit? Si enim inuenire potuit in quo Dissolutè & Clementer sibi opponi iudicaret, credibile est nãcisci potuisse aliquem in quo idem de Dissolutè & Crudeliter iudicium faceret. CA. Hic est, non tamen Ciceronis, sed Bruti, *Illud quidem non muto, quòd ei quẽ me occidere res nõ coegit, neque crudeliter quicquam eripui, neque dissolutè quicquam remisi: habuíque in mea potestate quoad bellum fuit.* Ipse autem Cicero iisdem vocibus in quadam ad eum epistola vtitur, sed nominibus ex quibus facta sunt illa aduerbia, *Tu, si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquam meam.* Neque

dissolutum à te quicquam homines expectant, neque crudele. Huius rei moderatio facilis est, ut in duces uehemens sis, in milites liberalis. Illis ipsis, inquam, verbis vtitur apud Brutum Cicero, quibus Brutus in sua ad eum epistola vsus fuerat. Ab ipso autem Cicerone in eadẽ illa oratione in Verrem, vnde paulo antè locum attulimus, Dissolutus & Vehemens opponuntur: *Poterone in eos esse uehemens, qui naues non modo inanes habuerunt, sed etiam apertas? in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam nauem, & minus exinanitam?* FAB. Ad alia exempla veniendum est. CA. An igitur assentieris Nizolio, dicenti *Aliquantum* idẽ esse quod *Paulisper*? FAB. Scis me assentiri nõ posse, quin dissentiam non solùm à grãmaticis sed ab ipsa Latinæ linguæ consuetudine, quæ *Paulisper* significationi temporis vult esse peculiare. Quòd si Aliquãtisper exposuisset Paulisper, in eo quidẽ certè non errasset. CA. Et tamen sicut Aliquãtum dicit esse Paulisper, ita vicissim vbi venit ad Paulisper, eo significari dicit idem quod Aliquantum. F. Duobus igitur modis inter se contrariis errat. nam quum Aliquantum dicit esse Paulisper, significationem illius aduerbii ad temporis significationem contrahit, quum de aliis etiam rebus dicatur (& quidem de aliis rebus potius quàm de tem-

pore. vix enim puto Aliquantum id significare, nisi adiecto genitiuo Temporis) vicissim autem quum Paulisper dicit idem valere quod Aliquantum, latius significationem illius vult patere quàm Latinæ linguæ vsus patiatur. Pudet verò in his examinandis immorari, quæ vel pueris esse debent notissima. ideóque alia quædam à te proponi velim ἀκριβείας Nizolianæ exempla, in exponendis aduerbiis. CA. Audi igitur aliud ἀκριβείας genus, AMANTER esse idem quod *Peramanter*. FAB. Eodem nimirum iure illi hoc dicere licet quo dicit *Inconsideratus* idem esse quod *Amentissimus*; & *Familiaris* esse *Qui in intima familiaritate alicuius versatur*. C. Sed quódnã ius hoc est? FA. Ab illis ipsis principibus fortasse cõcessum, quorum decretis & diplomatis armata hæc ipsa Nizolianarum Obseruationum editio prodiit. C. Si ita exponendi voces Latinas ius erat Nizolio, videndum est ne in illum iniurii simus dum in tales expositiones inquirimus. ideóq; nostro examini finem hîc imponendum censeo. FA. In eadem & ipse sum sententia. CA. Hilarem hæc nostra verba Marcum reddiderunt. FA. Haud equidẽ est mirum, quum nostrũ illud examen graui eum mœrore afficeret. CA. Hoc saltẽ, Marce, apud te hanc nostrã inquisitionem esse

cturam esse spero, vt in multis Nizolii expositionibus Epicharmeum illud in mentem tibi veniat, Μέμνασο ἀπιστεῖν. FA. Imò eum nolim ἀπιστεῖν, sed hoc duntaxat ab eo peto vt non sit adeo ταχύπιστος. Quale enim hoc esset, omnibus Nizolii expositionibus fidem derogare, quum multæ sint non contemnendæ? MAR. Tuo potius quàm Camilli obsequar consilio. CA. Meo certè simul es obsequuturus. non enim verbo ἀπιστεῖν significare volebam Non credere, sed Non temerè credere, vt à Quinto Ciceronis fratre exponi videmus: vbi scribit, *Quamobrem Epicharmeum illud teneto, Neruos atque artus esse sapientiæ, non temerè credere.* Scis enim Epicharmea esse ista, Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν. quę cùm ab aliis afferũtur, tum à Dione Chrysostomo, in libello περὶ ἀπιστίας. Et verò hũc ipsum titulum malè dico verti De non credendo, vel De incredulitate, (vt reddidit Thomas Naogeorgus) ac reddi debere De non temerè credẽdo: vel De diffidentia. Itidémq; in hoc Plutarchi loco ἀπιστίαν esse aio Non temerè credere, siue Diffidentiam, in Polit. præcept. ἣ καὶ Δημοσθένης ὀρθῶς μέγιστον ἀποφαίνεται τοῖς τυράννους φυλακτήριον ἀπιστίαν ταῖς πόλεσι. ... μάλιστα τῆς ψυχῆς τὸ μέρος ᾧ πιστεύομεν ἁλώσιμον. FAB. An putas me ignorare ἀπιστίαν in his

aliiſque huiuſmodi locis idem ſonare quod δυςπιστίαν? ſed volui, tuum illud dictum calumniando, Marco gratificari. CA. At ego illi minimè gratificabor in quadam re quæ mihi nunc venit in mentem. FA. Quænam ea eſt? CA. Vt Nizolianas quarundam etiã Græcarum vocum expoſitiones non relinquamus ἀβασανίστως. FAB. Neſciebam Nizolium tãtum ſibi ſumere auſum fuiſſe, vt Græca quoque exponeret. C. At nunc id ſcies: ſimúlque, quàm Nizolius in iis quoque explicãdis fuerit noſter Nizolius. Attende. F. Attentum me habes. CA. ἈΚΑΚΊΑ, id eſt, *Animus terrore liber*. FA. Quid audio? C. Expoſitionem quandam Nizolianam. FA. Imò pluſquam Nizolianam. CA. Παράδοξον quidem illam. FA. Imò ὑπερπαράδοξον. MAR. Atqui hanc reprehendentes expoſitionem, Ciceronem ipſum reprehenditis, ex ipſius enim quinto libro De finibus bonorum & malorum deprompta eſt. FA. Ciceronis eã eſſe dicendũ eſt, ſi omnia quæ vel in mẽdoſiſsimis operum eius exemplaribus extant, eum ſcripſiſſe dicere neceſſe ſit. Duo enim ibi habent Græca vocabula libri minus mẽdoſi, priore loco ἀθυμίαν, poſteriore ἀθαμβίαν, ſiue ἀταραξίαν. at deprauatiſsimi (quos ſequutæ ſunt vetuſtiſsimæ editiones typographicæ) habebãt ἀκακίαν poſteriore loco.

Sed nemo ex iis qui Græcam linguam vel à limine ſalutarunt, dubitauit vnquam quin ἀκακίαν mendoſè librarii ſcripſiſſent. CA. Aliud exemplum afferendum eſt, cui Marcus ne talem quidem (id eſt tam frigidam) excuſationem vllam inuenire poſsit. Reſpõdeat igitur Marcus quę ſit illa Græca lingua qua σχόλιον idem valet quod *apologia*. MAR. Vbi hoc ſcripſit Nizolius? C. In illa ad ſuas Obſeruationes appendicula, in qua barbaras quaſdam voces enumerat, ſimúlque quibus earum loco vtendum ſit indicat. Vide: *Apologia*, Σχόλιον. Sed quid ego ad illam Appendiculam me confero, quum in ipſis Obſeruationibus hanc bellam expoſitionem oſtendere tibi poſsim? MAR. Oſtende. CA. SCHOLION, *Reſponſio, uel Purgatio, uel Defenſio*. FA. In qua ſchola hanc ſcholii ſignificationem putas, Marce, Nizolium didiciſſe? MA. In errorem illum induxit quod ibidem à Cicerone dicitur, ἀπολογισμὸν συντάξομαι. CA. Euax, tandem à te aliquam veri cõfeſsionem extorſi. FAB. Atqui non dixit, Errauit Nizolius: ſed, Hoc Nizolium in errorem induxit. CA. Si bene Marcum noui, ad tam futile ſcholion (id eſt, tam futilem apologiſmum, loquendo more Nizoliano) minimè cõfugiet. MAR. Si bene Camillum noui, nullum vnquam exagitandi Nizolii

finem faciet. CA. Imò iam desino Marce de Nizolio verba facere, sed Ciceronianorum Nizolianorum vicem dolere, vel potius miserari, neque desino, neque vnquam desinam.

FA. SI FINEM tuæ in Nizolium inquisitioni imponere parabas, cautius tibi agẽdum erat. Tuo enim, vt sorex, indicio periisti, quum illius Nizolianæ ad Obseruationes Appendiculæ mentionem fecisti. CA. Quid ita? FAB. Quia mihi in memoriam promissum tuum reuocasti. CA. Quódnã? FA. De examinanda illa quoque Appendicula. CA. Ah, nimium vales memoria. FA. Imò verò parum mihi fidelis hac in re erat: sed tu illam officii sui admonuisti. CA. Meritò igitur me indicio meo, tanquam soricẽ, periisse dixisti. FA. Vt illo ipso vterer verbo quod est in illa prouerbiali formula, dixi te periisse: non lubẽter alioqui tale quid loquens. CA. Nescio quàm lubenter ita sis loquutus, sed te verè loquutum esse certo scio. FA. Quid ais? CA. Quod res est. mihi enim iam fesso laborem imponis qui vel recentem terrere potuisset. FA. Sed quotamcunque eius partem sustinere volueris, mihi à te satisfactum fuerit. CA. Hac conditione morem tuo desiderio geram. Sed hoc primùm fatebor, illam Appendiculæ appella-

tionem opusculo illi, siue libello, à me non ab ipso Nizolio esse impositam. FA. Quo igitur nomine ab ipso appellatur? CA. Multis constat verbis titulus quem in prima editione habet. Hæc enim in ea leguntur, VOCABVLA QVAEDAM *barbara, uel Latina quidem, sed non Ciceroniana, quo pacto Ciceronis more, id est, Latinissimè & elegantissimè dici possint.* His autem subiungit quædam quibus se velut excusat. FA. Quæ sunt illa? CA. *In quibus tamen nonnulla sunt quæ mihi, quum hæc scriberem, Ciceroniana uidebantur: sed librum aut locum in quo essent, non memoria tenebam.* FAB. Habétne plura illa inscriptio? CAM. Multo plura. Addit enim, *Subiis etiam uocabulis alicubi subiecimus sententias quasdam ac formas loquendi animaduersione dignissimas; & memoriæ maximè mandandas: quæ in oratione faciunda atque in scribendo, ad materiam illam quæ uocabulo significatur, facilè accommodari possunt.* FAB. Quàm verbosus est hic titulus. CA. Imò etiam verbosior quàm putes. nam hæc quoque adiiciuntur: quæ tamen separari poterant, & verò debebant: quum non ad inscriptionem illius opusculi sed tantùm ad commendationem pertineant. FA. Audienda sunt & illa. C. Audi igitur. *Hæc autem nos idcirco inter obseruationes machinati sumus, atq; ita ex ordine collocauimus,*

ut essent nobis tanquam loci memoriæ artificiosæ: quibus, siquando aliquid difficilius aut obscurius in memoriam reuocare uellemus, quasi monitoribus uteremur. Quod idem siquis facere uolet, non minimam hinc(opinor) ad dicendum scribendúmque afferri sibi sentiet utilitatem. Hæc illa sunt quæ Nizolius illi paruo tractatui (si ita appellare oportet) præfixit. FA. *Quid tanto dignū feret hic promissor hiatu?* Vel potius, quid tantis dignū machinamētis est nobis allaturus? CA. Video te quoddam eius verbum *machinati sumus*, hîc obseruasse. FAB. Obseruaui & alia, sed illud præcipuè obseruatione & admiratione, tandem etiam irrisione, dignum mihi visum est. MAR. Atqui Ciceronianum est *Machinari*. CA. Bene habet, Fabi, quòd Marcum tandem silētium rumpere coegeris. FAB. Sed silentium vicissim suum illi statim impositurus. MAR. Tún' mihi negabis Machinari esse Ciceronianum? FA. Non equidem: sed Ciceronem ea in re fuisse illo verbo vsurum negabo. CA. Miror te Marce non animaduertere, verbum hoc suo loco non esse adhibitum. FA. In id certè meritò iactabimus prouerbium, τὸ ἐν φακῆ μύρον, siue τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. MAR. Istas voces τὸ ἐν φακῇ μύρον noui significare In lēte vnguentum: sed quis sit istius prouerbii vsus nō recordor. FA. Ex nullo melius quàm

ex Frontone, apud Aulum Gellium, intelligere potes. Quum enim hic locus ex Quadrigarii Annalium libro XIII, recitatus esset, *Concione dimissa Metellus in Capitolium uenit cũ multis mortalib⁹*, & cuidã haud indocto viro videretur *multis mortalibus* pro hominibus multis, ineptè frigidéque in historia nimísque poeticè dixisse: Fronto autem cõtrà longè latéque amplius, prolixius, fusius in significanda totius propè ciuitatis multitudine, multo denique ἐμφατικώτερον illud quàm hoc esse dixisset, illo quidem certè in loco: hanc admonitionem addidit, *videte tamen ne existimetis semper atq; in omni loco mortales multos pro multis hominibus dicendum: ne planè fiat Græcum illud de Varronis satyra prouerbiũ*, τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον. Tali profectò admonitione opus erat Nizolio de verbo Machinari. cogitasset enim ei minimè locũ hîc esse. MAR. At mihi ab hoc loco minimè alienum esse videtur. CA. Vide Fabi, quid sit Ciceronianum esse. Marco enim, quòd Ciceronianus sit, licet à te dissentire de verbo Ciceronis, de quo alioqui te rectè sentire perspicit. FA. Suam Marco prærogatiuam relinquamus, atque his quæ πάρεργα sunt, omissis, ad ipsum ἔργον veniamus. Priùs tamẽ hoc ex te scire velim, Camille, an eadem verba illi opusculo in posterioribus editio-

nibus præfixa fuerint. CA. Basiliensi saltem editioni, quam paulo antè protuli, longè alium titulum præfixum esse scio: & ita quidem vt magnam ea in re factam esse Nizolio iniuriam interpreter. Vide enim quantum ab illa inscriptione ista sit mutata, INDEX *utilissimus, in quo uerba innumera ferè barbara, uel Latina quidem, sed non Ciceroniana, indicantur: quibus Ciceroniana, id est elegantissima subiiciuntur. ut siquando aliquid elegantius in memoriam reuocare uelimus, hoc quasi monitore utamur. Quod siquis facere uolet, non minimã hinc, opinor, ad dicendum scribendúmque sentiet utilitatem.* FAB. Quæ à Nizolio barbara vocantur, ab hoc immutatore ferè barbara appellantur. CA. At ego voculam *ferè* cũ proximè præcedẽte nomine *innumera* iungi arbitror. Nam illa quoque editio vocabula multa exhibet, quæ non barbara tãtùm sed barbarissima etiam dici possunt. FA. Tuum hoc *barbarissima*, tanquam barbarum irridet Marcus. CA. Barbarum dici posit fortasse, si quæcunque apud Ciceronem non extãt, barbara vocanda sint. Alioqui certè nõ video cur superlatiuus gradus Barbarissima minus admitti posit, quàm comparatiuus Barbariora, qui apud Nasonem legitur. F. Licebat tibi, ne Marci aures, non tantùm delicatas, sed Ciceronianè delicatas, offen-

deres, Græcè vel βαρβαρισμὸν vel τειβαρβαρα dicere. CA. Quid? nónne & in Græcis delicatas esse illas putas? FA. Etiamsi delicatas, at minus quàm in Latinis religiosas. Sed quid hoc sibi vult Camille, quòd quum Nizolius dixisset duntaxat, Vocabula quædã barbara, ille immutator pro Quædam, dicere Innumera ferè, non dubitauerit? adeóne barbarorum exercitus in editione illa creuit? CA. Non maior certè hac in re eius qui editionem illam Basiliensem interpolauit, diligentia quàm Nizolii, sed multo maior fuit audacia. MAR. Euge quòd aliqua Nizolii laudatio ex eo ipso ore quod Nizolio obtrectare & solet & gaudet, exciderit. eius enim saltem diligentia nunc agnoscitur. F. Quid agnoscat in Nizolio Camillus nescio; ego certè non tam diligentiam Nizolii agnosco, quàm eius negligẽtiæ ignosco. C. Ego verò an dici debeo diligentiã in Nizolio agnoscere, quòd nihilo maiorem ab altero quàm ab ipso diligentiam esse adhibitam fatear? Quid? si de duobus loquar, quorum vtrunque tardum esse querar, nónne ab vno nihilo maiorem quàm ab altero celeritatem adhiberi dicam? MAR. Iam incipis σοφίζεσθαι, dum Fabio quàm mihi gratificari mauis. sed hoc saltem mihi fateberis, satis magna, pro ea qua instructus erat

Ciceroniani sermonis cognitione, vsum diligentia fuisse. si tamen hoc tibi dandū est, eum plenā eius cognitionē assequutum nō fuisse. CA. Aliud tibi nō fatebor quàm hoc, tantam fuisse diligentiam Nizolianam quā-ta in Nizolium cadebat. FA. Ne quæso vllum hac de re verbum addito mi Camille, sed potius incipe iam nunc βαρβαρίζειν, ac vicissim κικερωνίζειν. CA. Barbara igitur sunt, *Barbitonsor*, *Becchata*, *Homagium*: in quorum locum substituuntur ista Ciceroniana, *Tonsor* (siue *Tonstrix*) *Morsus*, *Clientela*. FAB. Vel ex his perspicere possum barbariei appellationem latissimè apud eum patere: quum antea crederem illum non alias voces barbaras afferre quàm quæ apud eos extarent qui si non aliis, sibi saltē visi fuissent Latinè loqui. Quē verò tribus illis vocabulis aut vllo eorum vsum fuisse credibile fuerit, si Pogium, Raudensem, alióſque eiusdem farinæ homines, aut certè duorum illorum discipulos, excipiamus? Et tamen ex tribus illis vocabulis vnicum apud eos est, (quod sciam) Barbitonsor. Imò ne hoc quidē affirmare queo, an apud vtrumque extet, quum apud Raudēsem duntaxat me id legere meminerim. Sed fateor apud ambos alia esse quæ ex sermone vernaculo sumpta, terminatione duntaxat Latina vestierint, (si mihi

ita loqui conceditur) vt in illis, *Becchata* & *Homagium*, factum esse videmus. Dixerunt enim *Disturbium*, *Bancalia*, *Complices*, *Auisare*, *Cōtentari*, & alia eiusmodi, quæ vulgò Latinum culinarium appellare solemus. CA. Omittis *Moderni*, *Treuga*, *Pensionarius*: omittis item *victualia*, quo & Marsilius Ficinus in Platonis interpretatione vtitur, nō tantùm in Protagora, sed in alio etiam quodā (si bene memini) dialogo. FA. Non hæc tātùm, sed alia quamplurima scio à me prætermitti: sed ea nolo afferre quæ illis sunt cū aliis multis communia, ac præsertim cum iis qui leges Salicas, Ripuarias, Alemannorum, Boioariorum, Saxonum, & quorundā aliorum, posteritati tradiderunt. Quem librum si habuisset Nizolius, longè profectò maiorem barbarorum exercitum collegisset. C. Imò verò illi aliunde etiā multo maiorem quàm attulerit numerū non defuisse puto: sed magnam cautionē in delectu adhibuit. FAB. Quam? CAM. Vt barbaris iis contentus esset, in quorum à se exautoratorum locū, parem postea Ciceronianorum numerū substituere posset. F. Quid? quum igitur pro illo nomine *Becchata* substituit *Morsus*, an tibi in locum barbari Ciceronianum eiusdem significationis substituere videtur? C. Interrogādus est potius Marcus.

FAB. Tacet Marcus: tu igitur alia exempla profer. CA. Pro *Contradictorius* ſubſtituitur ab eo *Contrarius*. Quid tu hîc reſpondebis Marce? nónne hoc tam falſò in locum illius ſubſtitui, quàm falſum eſt ἐναντίος & ἀντιφατικός idem valere? Pudet te fateri quod veriſſimum eſſe intelligis. CA. Pro *Tangibilis* vult dici *Tractabilis*, item *Res quæ ſub tactum cadit*. FA. Quis nō videt illud *Tractabilis* malè cum ſequentibus confundi? & perinde eſſe acſi quis ψηλαφητὸν & ἁπτὸν cōfunderet? Atqui priùs ſit ἁπτὸν neceſſe eſt, quicquid eſt ψηλαφητόν: ſed ψηλαφητὸν eſſe minimè eſt neceſſe quicquid eſt ἁπτόν. MAR. Quid? an ipſi etiam Ciceroni audes repugnare, qui ἁπτὸν apud Platonem *Tractabile* eſt interpretatus? FA. Hanc Ciceronis interpretationē non ideo reprehendo: ſed eum dico propriam nominis illius ſignificationem minimè retinuiſſe, verùm ita dixiſſe *Tractabile* ac ſi verbum *Tractare* poſſet etiam ſimpliciter poni pro Tangere. Nec verò dubium eſt quin potius verbo Tangere, aut eius verbali vſurus fuerit, (vt alibi ἁπτὸς vertit Sub tactum cadens: item ἁπτός ἐστι, Tangitur: item, οὐδὲν ἂν ἁπτὸν γένοιτο, Nihil tangi poteſt) ſed quum Plató tria vno eodémque in loco poſuiſſet, σωματοειδὲς, & ὁρατὸν, & ἁπτὸν, ac duo priora duobus Latinis, Corporeū & Aſpe-

ctabile Cicero iam reddidisset, nō itidē tamē Tangibile vt Aspectabile dicere posset: Tactile autē(quo tamen Lucretius vsus est) dicere non auderet: Tractabile dicere sibi permisit. C. Ne nos hîc mala fide agere existimemur, & Nizolium calumniari, dicamus potius cum hîc Ciceronis autoritate posse defendi. F. Vtcunque defendi. C. Locum nominis *Compassio* occupant apud eū duo, quorum prius Græcum est, συμπάθεια: Latinum est alterum, *misericordia*. F. At ego ex misericordia nasci dico συμπάθειαν, (quum illa faciat vt alicuius malis & infortuniis tangamur) & ita vnum ab altero distingui dico. Addo etiam, συμπάθειαν reddi potius debere Condolentiam. Sed iam ad aliud exemplum transi. C. Verborum exempla nominum exemplis subiuncturus, à verbo *Contrarior* initium sumam, pro quibus substituit *Pugno*, item *Contrarius sum*, & *Confligo*. F. Ego verò in locum verbi *Contrariari* reposuissem duntaxat *Contrarium esse*. CA. In locum barbari *Combinare* succedit apud eundem Nizolium Connectere. F. Potius Copulare, meo quidem iudicio, succedere debuerat. C. Locum barbari *Difficultare* occupāt apud eum duo verba *Difficultatem afferre*. FA. At ego pro his *Difficultare aliquid* malim dicere *Difficile reddere aliquid*. C. Sed

iam

iam veniẽdum eſt ad alia vocabula, quibus maxima fit iniuria, quòd quum minimè barbara ſint, barbaris tamen, ſine vllo diſcrimine, intermiſceantur. Primùm autem nonnulla proferam quæ apud primarios quidẽ ſcriptores non extant, ſed apud eos ſaltem qui minimè βαρβαρίζειν exiſtimantur. Ex iis igitur eſt *Corporatura*, quo vtuntur Columella & Vitruuius. Pro hoc autẽ *Corporatura* ſubſtituuntur ab illo *Statura* & *Habitus*. MAR. An hîc aliquid reprehenſione dignũ à vobis inuenietur? FA. A me quidem certè aliquid iam inuentum eſt, vel potius aliqua iam inuenta ſunt. M. Quænam? FA. Primùm, quòd nomini *Habitus* non addit genitiuum *corporis*: deinde (qua in re grauior eſt error) quòd ab eo *habitus* cum *ſtatura* confunditur. Nam *corporaturam* ſiue *corporationem* non eſſe ſtaturam oſtẽdit hic Columellæ locus, Item cuſtodiendum eſt ne in corporatione, vel ſtatura, vel viribus impar cũ valentiore iungatur. CA. Ad aliud venio. Pro vocabulo *Augmentum*, vult dici vel *Amplificatio*, vel *Incrementum*. FA. At ego dixerim nomen *Amplificatio* reſpondere verbali *Augmentatio*, potius quàm verbali *Augmentum*. CA. Et rectè, meo quidem iudicio, dixeris. F. Verùm quæ ſunt adeo leuia, prætermittenda cenſeo. CA. Iam igitur proferam

in quibus grauius & periculosius errat. Ex illis est *Circumferentia*. nam pro hac voce vult à nobis dici *Extremitatem*, vel *Libramentum*. Non te rogabo autem in vtro horum nominum quæ substituuntur, erretur, sed in vtro grauius errari dicendum sit. FA. Vlterius pergere te, potius quàm in his quæstionibus immorari, velim. Cur enim tempus ponamus in æstimandis iis peccatis quibus non nostrum est pœnas irrogare? C. Audi igitur eodem pertinẽtia, eandémque, id est eiusdem generis, ignorãtiam testantia. *Antarcticus* dici non vult, sed *Antaxon*, illius loco. Pro *Iris* vult dici *Arcus species*. Et in voce *Clima* scribit, *Clima, quasi angulus*. Quid verò quòd pro *Brauium* vult dici *Stadium* ab eo qui Ciceronianè loqui velit? F. Proh quantam iniuriam facit Ciceroni, quũ eum Stadium pro Brauio dixisse tradit! ab ebrio certè Cicerone, non sobrio, dictum hoc fuisse existimandum esset. Perinde enim est acsi pro διδασκαλεῖον nos δίδακτρον dicere, Cicerone autore, iuberet. MAR. Magnum esse scio inter hæc duo nomina discrimen. FA. Non minus est profectò inter illa duo. nam vt διδασκαλεῖον locus est in quo præceptor docet, δίδακτρον autem, præmium doctrinæ (seu pretium doctrinæ, vt loquitur Naso) sic στάδιον locus est in quo curritur, at βραβεῖον præ-

mium curſus ſignificat. CA. Quídni etiam perinde eſſe dicamus acſi officinam fabri, & manupretiũ quod ei datur, vno eodémque nomine appellare, vel potius illius appellationem huic tribuere nos iuberet? FA. Id quoque iure optimo dixerimus. C. Vtinam verò aliquis adeſſet medicus, qui eundem Nizolium audiret nos monentem nõ *Catarrhus* Ciceronianè ſed *Epiphora* dicendum eſſe. FA. Quaſi verò bella hæc monitio ſolis medicis riſum mouere poſsit. CA. Ecce aliam riſus materiam, pro Græco *Dogmaticus* eſſe dicendum, *Cuius libertas differendi amiſſa eſt, quique in diſputando non ſuum iudicium ſequitur, ſed autoritati aliorum paret*. F. At ego ridere an miſerari debeam talem ignorantiam neſcio. hæc enim periphraſis omnino repugnat ſignificationi vocabuli illius Dogmaticus: quum ea deſcribatur is qui non audet δογματίζειν. quale autem hoc eſt, δογματικὸν dicere eum eſſe qui δογματίζειν non audeat? Ariſtoteles ſcilicet, quem nemo dogmaticum eſſe philoſophum negauerit, non ſuum in diſputando iudicium ſequutus eſt, ſed autoritati aliorum paruit: quum ne in præceptoris quidem ſui Platonis verba iurare voluerit, ſed amicum Platonem, magis amicam veritatem eſſe non diſsimulauerit. Memini à Sexto philoſopho inter

dogmaticos primum nominari. poſtquam enim philoſophos in tres claſſes diſtribuit: primam, eorum qui dixerunt ſe εὑρηκέναι τὸ ἀληθές: ſecundam, eorum qui ἀπεφήναντο μὴ δυνατὸν εἶναι τοῦτο καταληφθῆναι: tertiam, eorum qui ἔτι ζητοῦσι: ſubiungit, καὶ εὑρηκέναι μὲν δοκοῦσιν οἱ ἰδίως καλούμενοι δογματικοὶ, οἷον οἱ περὶ Ἀριστοτέλην, καὶ Ἐπίκουρον, καὶ τοὺς Στωϊκοὺς, καὶ ἄλλοι τινές. Vbi δοκοῦσι non interpretor Videntur, ſed Exiſtimant, ſiue Arbitrantur, cum Henrico Stephano. aut certè, Sibi videntur. Neque enim intelligit illos aliis etiam videri veritatem inueniſſe. FAB. Non recordatus eſt Nizolius prouerbii, Ne ſutor vltra crepidam. alioqui in Græcis verbis aliquem ſe linguæ Græcæ peritiorem in cõſilium adhibuiſſet. CA. Non magis certè fidum ſe monitorem exhibet Nizolius quum monet ne Pœnitẽdus dicamus, ſed pro eo vtamur Græco vocabulo ἀμεταμέλητος. FA. Rideretur ſaltem is qui monitori illi fidem habens Græcè diceret cõtrarium ei quod Latinè dicere vellet. CA. Haud minori ſuos lectores, qui linguæ illius pariter ſint ignari, periculo exponit in *Autodidactos* quàm in *Dogmaticus*. Nam illic quoque periphraſin planè ſignificationi nominis *Autodidactos* contrariam affert: perinde acſi pro Autodidactos dicendum eſſet, verbis vtendo Ciceronis, *Qui nullum*

artem sine interprete & exercitatione percipere potuit. In ea autem voce quæ hanc proximè præcedit, idem facit quod & in aliis, vt eadē vocabula Latinis scripta literis reiiciat & pro barbaris habeat: at si Græcis scribantur, vt verè Ciceroniana amplecti nos iubeat. nam *Authenticè* ibi barbarum est, at vero αὐθεντικῶς, quod ei subiūgitur, Ciceronianum. Verùm hîc in terminatione quoque aliquid est differentiæ: at nō multo pòst eodem modo vox *Blasphemia* repudiatur, βλασφημία recipitur: itidémque vocem Categoremata reiicit, vocem κατηγορήματα admittit, verùm & Latinè & Græcè aliter scriptam. nam Cathegoremata cum *th* ibi legimus, eodémq; modo καθηγορήματα cum θ: & tam Latinæ quàm Græcæ voci suam scripturam intactam reliquit & Basiliensis editio. FA. Credidit fortasse qui editioni illi præfuit Ciceronianam esse scripturam, nō κατηγορήματα, sed καθηγορήματα, atque ideo Nizolio placuisse. MAR. Imò *Cathegoremata* barbarè scriptum inuenisse Nizolium crediderim. CA. An ideo & illum καθηγορήματα barbarè scribere decebat? MAR. Quid? nónne fieri potest vt nō ipse Nizolius ita scripserit, sed is qui Italicæ illi editioni præfuit? quū sicut Latinam vocem literis *th* scriptam videret, ita Græcam litera θ scribendam putaret?

FA. Quid? nónne magis credibile eſt, vtrũque errorem ab ipſo Nizolio manaſſe, ob ignorãtiam Græci huius nominis originẽ? quum ſint & alia quæ non minus craſſam eius ignorationem in iis quæ ad Græcã linguam pertinent, nobis prodant? MAR. Dices igitur fortaſſe vocem *Notomia* ex eius errore profectam eſſe, pro *Anatome*. FAB. Imò verò eum illic agnoſco nõ Nizolii ſed barbari vulgi errorem: præſertim quum corruptæ voci integra ſubiũgatur *Anatome*. Sed quum deprauatæ illi *Notomia* ſubiungi integram *Anatome* ſatis eſſet, malè totum Ciceronis locum attulit. CA. Audi audi Fabi, quod te obſtupefactum reddet. FA. Quid illud eſt? CA. Incidi in quendam locum vbi dicit Nizolius pro Græca voce *Pleonaſmos* dicẽdum eſſe *Occultæ inſidiæ*. FA. Quid aliud hoc eſt quàm monſtra loqui? quid cõmune habet vox *Pleonaſmos* cum voce *Inſidiæ*? CA. Interrogandus eſt Marcus. MAR. Eſtne ita ſcriptum non ſolùm in Baſilienſi editione, ſed in illa etiam Italica? CAM. Vide ipſemet. nolo enim te meis oculis credere. MAR. Video ita ſcriptum eſſe in vtraque: & me quoque valde mirari fateor quid hîc ſibi voluerit Nizolius. CA. Miraríſne tantùm, nõ etiam obſtupeſcis? MAR. Quaſi verò Gorgonem quampiam conſpe-

xerim. F. Ne in re tam ſeria rideamus, ſed vnde natus ſit ille tam monſtroſus error, videamus ſeriò an vlla coniectura aſſequi poterimus. Tu Marce ne tuam nobis inuideto. M. Non inuiderem ſiquam haberem. F. Tu autem Camille quid coniectas? CA. Me ne habere quidem fateor quod coniectem. FA. At ego quid mihi in mentem veniat hoc de loco ſuſpicari, nequaquam vos celare volo. CA. Rem mihi gratam facies. MAR. Mihi quoque. FA. Quum aliquis margini ſui libri adſcripſiſſet vocem *Pleonaſmus* eregione horum verborum, *O cultæ inſidiæ*, indicare volens adiectiuum *occultæ* eſſe additum per pleonaſmum (quis enim inſidias eſſe occultas non nouit, & alioqui non eſſe inſidias?) incidit in illud margini adſcriptũ vocabulum Nizolius, & putauit, eum qui hoc adſcripſiſſet, intelligere, vulgò vocari Pleonaſmum quod à Cicerone Occultæ inſidiæ diceretur. MAR. Interim verò hæc tua coniectura Nizolium non excuſat, ſed potius fœdæ illum ignorantiæ accuſat. FAB. Quid? egóne Nizolium hîc excuſaturũ me promiſi? eſt certè hic error non δυςαπολόγητος, ſed planè ἀναπολόγητος: quicunque patrocinium Nizolii ſuſcipiat, & quamcunque ſe in partem vertat. Sed vnde hic nouus riſus, Camille? CA. Ex eo quòd video Nizolium

velle Ciceronē nomina vulgò recepta abolere, eorúmq; loco alia impõnere iis etiam rebus quarum nullam omnino notitiam habuerit,& de quibus nihil vnquam audierit: quinetiam quæ nihil affinitatis habere dici posſint cum earum vlla quarum ab eo ſit mentio. In hoc numero ſunt, *Typographus*, *Epiſcopus*, & *Chirotheca*. Pro *Typographus* vult Ciceronianè *Librarius*, pro *Epiſcopus* vult *Pontifex* dici: pro *Chirotheca* ſubſtituit *Manica*. Sed vnum eſt vocabulum quod nos hæc vix mirari ſinit, quia multo illis eſt admirabilius. FA. Cur nos tamdiu ſuſpēſos tenes? CA. Quia vereor ne tuo cachinno Marcum fuges. FA. Atqui polliceor, ſi videam tale quodpiā à meo cachinno periculum imminere, me potius fugam ſtatim capturum, nec priùs reuerſurum quàm illū compeſcuerim. CA. Ridiculum id vocabulum, cui dico Nizolium præter omnium expectationem inueniſſe nomen apud Ciceronem, eſt *Cabala*. FAB. Ah, lupum auribus teneo. ſiquidem neque à cachinno mihi temperare, neque foras eum extrudere (vt fidem meam liberem) poſſum. MAR. Nō ſatis propriè iſto prouerbio vteris. F. Ego de prouerbiorum vſu fidem Ciceronianis habendam non cenſeo. CA. Iſtam controuerſiam miſſam facito, ac potius qua peri-

phrasi Cicero *Cabalam* circumloquatur audito. FA. At ego Nizolium verbum vnum quod vni responderet, apud suum Ciceronem inuenisse existimabam. CA. Itáne Cabala, quæ tam latè patet, vno verbo à Cicerone exprimi potuisset? F. Audiēda est igitur illa periphrasis. C. Ex somnio Scipionis petita est. *Si cupiat proles illa futurorũ hominũ deinceps uniuscuiusque nostrûm à patribus acceptas posteris prodere*, &c. FA. Dubito an hæc ita scripta sint apud Ciceronē: ac nihil certè cabalicum in his agnosco. C. Nihil tibi cum cabala, quantum video. FA. Præsertim cum Nizoliana. CA. Cur non dicis Ciceroniana? F. Vísne Ciceronianam appellem quam Ciceroni immerenti Nizolius affingit? CA. Quidni? in promptu autem erit excusatio, te de cabala cabalicè siue cabalisticè esse loquutum. Sed ecce tibi alias insuper duas cabalæ periphrases, illi quam recitaui subiunctas. FA. Hæ quóque sunt audiendæ. CA. Prior est ex libro De amicitia (caue autem ne & hîc dicas te dubitare an ita apud Ciceronem scriptum sit) *Quod ab Archyta (ut opinor) dici solitum, nostros senes commemorare audiui, ab aliis senibus auditum*. Posterior autem ex lib. De legibus, *De sacris hæc sit una sententia, ut conseruentur semper, & deinceps familiis prodantur: &, ut in lege posui,*

perpetua sint sacra. Subiungũtur verò & hæc ex alio (eiusdem vt opinor libri) loco, *Demde etiam deinceps posteris prodebatur ad imperium*. FA. Ecquis, præter Nizolium, cabalã in his Ciceronis locis reperisset? C. Esséne quicquam putas quod apud Ciceronem nõ repererit, aut saltem se reperisse imaginatus non sit Nizolius? quum etiam Manticam inde proferat? FA. Manticam Nizolius apud Ciceronem? CA. Et quidem Catullianam. Audi & hîc periphrasin: (falleris enim hîc quoque si verbum vnum quod vni respondeat expectas) ex Cic. opere De officiis, *Fit enim nescio quomodo ut magis in aliis cernamus, quàm in nobismetipsis, siquid delinquimus*. MAR. Quod addidisti, Camille, Catullianã, faciet vt Nizolium excusem, eiúsque mentem intelligam. CA. Quid? a mentem habere mentem putas? MAR. Bona verba quæso. nónne & ipse, si verum fateri velis, hunc Catulli versum, *Sed non uidemus manticæ quod in tergo est*, sub illis verbis Ciceronis dices te agnoscere? CA. Esto posse sub illis verbis agnosci: poterítne quisquã sub illo etiam vnico vocabulo Mantica versum hunc agnoscere? MAR. Non equidem: sed putauit Nizolius lectoribus ex vnica voce totum statim versum in mentem esse venturum. CA. Atqui ne tibi quidem ipsi Ni-

zolii diſcipulo ſuccurrebat ille verſus, ideóque in illo vocabulo Mantica hærebas, vt ipſe modò fatebaris. FAB. Ego verò ne ipſi quidem Nizolio in mentem veniſſe arbitror illum Catulli verſum (vt omittam, poſſe etiam in dubium vocari an Catullum vnquam legiſſet) ſed Manticam alicũde eadẽ arte qua & Pleonaſmum & alia, corraſiſſe. MAR. Stomachum, quantũ video, mihi mouere cupis, dũ talia de Nizolio dicis. F. Ne mea de Nizolio verba ſtomachum tibi moueant nõ valde laboro. nam quum ille ſuis hiſce ineptiis ſtomachum mihi & mouerit & moueat, par pari relatum fuerit. Sed noli quæſo poſthac nos interpellare. CA. Quum ad illum quem inſtitueram ſermonem de Græcis vocibus quæ à Nizolio vel reiiciũtur, vel contrà in Latinarum locum ſubſtituuntur, redire vellem, commodùm in quandam incidi, in qua (propter illa quæ ei ſubiunguntur) eodem modo quo in duabus tribúſve præcedentibus lectores ſuos tenet ſuſpenſos Nizolius. FA. Quænam illa eſt? CA. *Microbius*. FA. Quæ Ciceronis ei ſubiunguntur verba? CA. Iſta, ex oratione pro M. Marcello, *Animus tuus nunquam his anguſtiis quas natura homini ad uiuendum dedit, contentus fuit*. FAB. Quid ſomniaſſe hîc dicemus Nizolium? MAR. Etiamſi me inter-

pellatorē sis vocaturus, aliquid obloquar. FA. At ego te obloquutorem esse nesciebam. MAR. Proloquar dicere volui. F. Quid verò est quod siue obloqui siue proloqui cupis? MAR. Iniuriam hîc Nizolio fieri, si errasse & hîc ac perperam illi Græco vocabulo hunc Ciceronis locum adscripsisse dicatur. Quis enim non videt illo Ciceronis loco periphrasticè id exprimi quod illa vox Græca microbios sonat? FA. Quid? an igitur quum libebit significare Ludouicū fuisse *microbion*, siue *brachybion* (quo frequentius vtuntur Græci) id est, breuem fuisse Ludouici vitam, hunc Ciceronis locū imitabor? MAR. Quídni? F. Dicam igitur te autore, Animus Ludouici nūquā his angustiis quas natura homini ad viuendum dedit, contentus fuit. MAR. Non me, sed Cicerone autore, hunc locum vsurpare potes. FA. Apagę istas ineptias. MAR. Imò nihil minus quàm ineptias vocant Ciceroniani imitationes tales Ciceronis. FA. Nizoliani quidem certè Ciceroniani. CA. En tibi, Fabi, non procul ab ea qua de nunc agimus voce, quendā locum quem tuæ de Pleonasmo coniecturæ approbatorem ipse quoq; (vt spero) Marcus esse fatebitur. Lege hæc. F. *Metaphora. Quantos acervos facinorum reperietis? pro Sylla.* Omnino hic locus meam illam (vt

dixisti) de pleonasmo coniecturam confirmat: ideóque posthac bonum me cõiectorem esse gloriabor. Manifestum est enim Nizolium, quum alicuius exemplaris margini adscriptam inuenisset eregione huius loci vocem *metaphora*, & hanc vocem & locum ipsum inde in hoc præclarum opusculum, quod machinabatur (ita enim ipsummet de eo loquentem audiuimus) transtulisse. M. Dum tuam vis coniecturam confirmare, & Nizolium magis ac magis ignorantiæ accusare, interim eum (quod minimè vis) excusas. Quod enim iam de voce Pleonasmus parũ verisimile erat, multo minus est certè de voce Metaphora, cũ quæ huius esset significatio ignorasse. F A. Atqui illúmne adeo iudicio caruisse fateberis (quod tamen fateri necesse tibi foret) vt quum intelligeret quis horum nominum vsus esset, ea suo opusculo, quanuis omnino ἀπροσδιόνυσα, nihilque ad eius argumentum pertinẽtia, infarcire vellet? C A. Responde, Marce, cum illo Terẽtiano aduocato, Res magna est: de ea amplius deliberandum censeo. Interim verò ad tuorum Cõciceronianorum Nizolianorum senatum rem referre tibi licebit: nunc autem oro te atque obtestor, hoc te sinas oxorari vt sine vlla tua interpellatione huic quoque inquisitioni finem

imponere nobis liceat. MAR. Tuis precibus hoc dabo, quod Fabii precibus minimè daturus eram, vt sermonē vestrum posthac non interrumpam. Sed quãuis tibi gratificer, rem ipse minimè mihi gratam fecisti quum meos symmystas Conciceronianorũ Nizolianorũ senatũ cum irrisione vocasti. C. Meminerimus posthac, Fabi, symmystas illos appellare. FA. Meminero. nunquam autem antea audiueram, sicut poetas, ita etiam Ciceronianos, sua quædam sacra habere, ideóq; se mutuò symmystas nominare. Sed iam perge Camille. C. Vísne à *microbio* ad ei contrarium *macrobium* veniamus? F. Volo. C. Qui igitur vulgò appellatur *Macrobius* voce Græca, is Ciceronianè loqui volenti (si Nizolium sequimur) dicẽdus fuerit *M. Valerius Coruinus*, vel *Arganthonius*. F. Sed quomodo Nizolio licuit propriis nominibus significationem appellatiui nominis tribuere? C. An nondum nosti omnia Nizolio licuisse? Vide locum in quo vicissim pro proprio appellatiuum substituit. nã pro *Hermaphroditus* vult à nobis dici *Androgynus*. Si tamen verum est quod à vulgo dictitatur, communem errorem facere ius, excusari hîc potest Nizolius. FA. Gaudeo istã reprehensionem à Marco non esse intellectam: falsò enim à te reprehendi Nizolium

diceret: nec immeritò fortasse. Quanuis enim Hermaphroditus nomen propriũ fuerit cuiusdam androgyni, & quidem omniũ (vt quidam tradunt) primi: factum est tamẽ nescio quomodo vt ex proprio in appellatiuum, apud quosdam eorum etiam qui è vulgo nõ sunt, transierit. & quidem Plinius ipse ita vsus est, si bene memini. C. Idẽ ergo vocabulo illi Hermaphroditus, quod nomini Bagoas, contigerit. nam ab vno eunucho qui Bagoas vocabatur, nomen hoc omnibus eunuchis commune factum fuit. FAB. Caue ne fallaris. nam fateor quidem non vni eunucho à scriptoribus hoc nomẽ tribui, sed ex Persica lingua profecta esse traditur hæc appellatio: atque id mihi fit verisimile. Scribitur autem vulgò & Bagous: vnde apud Nasonem,

Quem penes est dominã seruandi cura Bagoe:

sed mihi suspecta est cùm alibi, tum verò hîc, ista scriptura: præsertim quũ versus non minus Bagoa admittat, quàm Bagoe. Apud Græcos quidem certè scriptores non aliter quàm Βαγώας scriptum memini me legere. nam apud Plutarchum in Alexandro genitiuum Βαγώου esse à nominatiuo Βαγώας, ex aliis eiusdẽ Plutarchi locis patet. C. Scio & quosdã alios idem quod dixeram de appellatione illa sentire: sed iam tibi assentiri

incipio. Redeo igitur ad alia exēpla nominum partim propriorū, partim ἐθνικῶν, quibus Nizolius significationē appellatiuorū dedit. Ex propriis est *Gallonius*. nam pro eo quod à vulgo dicitur *Gulosus*, vult à nobis, Ciceronianè loqui volentibus, dici *Gallonius*: atque adeo voci illi *Gulosus* totum Ciceronis locum subiungit, *Viuit ut Gallonius, loquitur ut frugi ille Piso*. Ad ἐθνικῶν autē exēpla quod attinet, iam antea vidimus illum pro adiectiuo *Sanguinarius* velle dici *Thrax*: nunc verò addo, pro *Insensatus* iubere nos inter alia dicere etiam *AEthiops*. FA. Sæpe igitur in ore habeant necesse est Ciceroniani Nizoliani Gallonium, sæpe Thracem, sæpius AEthiopem. Quid verò quum de pluribus loqui volent? an Gallonios, Thraces, AEthiopes dicere illis licebit? CA. Nō permittet illis (vt opinor) Nizoliana regula ex vnitatis numero ad multitudinis numerum transire, nisi & hic apud ipsum Ciceronem extet. FAB. Quàm duras suis discipulis Nizolius leges imponit! C. Quid quòd & vsu nonnullorū nominum quæ propria sunt vrbiū, illis interdicit? FAB. Quorum? CA. Ex iis est *Messana*. vult enim pro *Messana* dici à suis discipulis *Mamertina ciuitas*. FA. Quòd si illud dicere ausi fuerint, vapulabunt? CAM. Vapulabunt certè, nisi ante ictum manum

ferulæ

ferulæ ſubduxerint. Vapulabunt itidem ſi *Adriaticus* dixerint, non *Adrianus*: veluti ſi nō *Adrianum mare* ſed *Adriaticum* vocarint. Quinetiam vſu proprij nominis *Meduſa* illis interdicit, eiúſque loco vt Μνήμοι Γοργείων κεφαλὼ dicant præcipit. Itidémque ne nomine *Myrrha* vtantur, prohibere velle videtur: quendam Ciceronis locum ſubiungẽs, qui tamen quid ad *Myrrham* pertineat non video. FA. Recita eius verba. CA. *Myrrha*. Cic. De nat. deorum, *Pallantis filiam Mineruam amaſſe, & ab ea necatus dicitur.* FA. Non credibile eſt ita legi apud Ciceronem. CA. Ideo locum apud eum quæro. Eum iam inueni, vbi ſicut plures Veneres & Dianas, ita etiam Mineruas recenſeri tradit. *Quinta* (inquit) *Pallantis, quæ patrem dicitur interemiſſe uirginitatem ſuam uiolare conantem.* Non dubium eſt autem quin hîc nominatiuus filia poſt genitiuum Pallantis ſubaudiendus relinquatur. Sed quid hæc ad Myrrham? FA. Hîc quoque diuinatione opus eſt. Aliquis igitur (niſi me coniectura fallit) propter id quod in fabulis de Myrrha narratur, margini è regione huius loci nomen eius adſcripſerat: inde verò Nizolius in ſuũ hũc libellum tranſcripſit, quum & hanc vocem quam non intelligebat, ad Ciceroniani ſermonis leges pertinere exiſtimaret. Quicũ-

quę tamen is fuerit qui illi Ciceronis loco Myrrhæ nomen apposuit, non recordatus est fortasse, non idem de Myrrha poetas quod Ciceronem de quinta Minerua, Pallantis filia, tradere: quum Myrrha patris amore capta, contra verò huius Mineruæ amore captus pater eius fuerit. CA. Vult etiã pro quibusdã adiectiuis nominibus substantiua vsurpare Nizolius, si modò putidi (puti volui dicere) Ciceroniani esse velint. nam pro *Incombustilis* vult dici *Lituus*, addito etiã genitiuo *Romuli*. FA. Ergo quamcunque rem Nizolij discipuli dicere volẽt non posse comburi, non eam vocabunt incombustilẽ, sed lituũ Romuli. Verùm nihílne additur ad illa verba, vel in Italica vel in Germanica editione? CA. Vide ipsemet, si mihi non credis. FA. Video nihil aliud vtrobique legi, quàm hæc, *Incombustilis*, *Lituus Romuli*. CA. Quid verò putas mouisse Nizoliũ vt pro hac voce barbara (vt quidẽ ipse iudicat) illas substitueret? FA. Suspicor Nizolium, quum audisset, lituum Romuli, fuisse ex iis quæ igni resisterent, atque id ab ipso etiam Cicerone scribi (idẽ verò & à Plutarcho traditur, si bene memini) posteà quum ad illud adiectiuũ Incombustilis venisset, miniméque Latinam vocẽ inueniret quam in illius barbarę lo-

cũ reponeret, dediſſe ſuis diſcipulis quod ex auditione habebat, nimirum lituũ Romuli. CA. Vbínã verò Cicero de lituo Romuli hoc perhibet? FA. Libro poſteriore De diuinatione. Sed perge Camille: ac primùm ſiqua ſuperſunt de Græcis vocibus dicenda quæ à Nizolio repudiãtur, vel cõtrà in aliarum locum ſubſtituuntur, ea expedi. CA. Nimium multà ſuperſunt, ideóque miſſa ea facere & ad Latina me conferre decreui. FA. Ea tantùm Græca volo à te adiici quorum recordaris, ita vt minimè quærere neceſſe ſit. CA. Ex iis certè eſt vox *Miſanthropus*, pro qua vult dici, *Hominum aſpectum lucémque uitare*: non conſiderans Græci illius nominis aliam vim eſſe, & poſſe fieri vt aliquis hominum aſpectum lucémque vitet, qui tamen non ſit miſanthropos, id eſt oſor hominũ. Idem præcipit ſuis diſcipulis vt pro *Hypothetica* dicant *Connexum*. FA. Debuerat igitur addere ſubſtantiuum *Propoſitio* illi adiectiuo *hypothetica*. Neq; verò *Connexũ* tantùm (quod dicitur vt à Stoicis τὸ συνημμένον) ſed etiã *Id quod cõnectitur*, ex Cicerone afferre poterat, in libro De fato. CA. De voce *Eclogarij* idẽ ab illo nõ docetur quod ab aliis. placet enĩ ei vt qui vulgò *Interlocutores* nominantur,

ab illis *Eclogarij* vocentur.atq; huic vocabu lo ista subiungit, *Nomina eorum qui in dialogis loquentes inducuntur.* Idem prohibet suis ne *Thermas* dicant, iubétque τὰ θερμὰ dicere. Prohibet etiam ne verbo Disquiro vtatur: & tantùm verbo Exquiro, aut Græco ἐξετάζω vti permittit. Alicubi verò significationes permiscet: veluti quum scribit, *Dignitas*, *Postulatum*, Ἀξίωμα. Alicubi voces Græcas affert tãquam barbaras, quæ apud ipsum duntaxat vulgus, & quidem apud ipsam vulgi fæcem, barbaræ sunt, vtpote illis abutentem: veluti quum pro *Ecclesia* vult dici *AEdes sacra* vel *Templũ.* quis enim ecclesiæ appellatione pro templo vtitur, nisi omnino ferè sit ἀναλφάβητος? Sed à Græcis vocabulis ad Latina mihi iã trãsire cõcedito: ad Latina, inquã, illa quibus Græca minimè sunt intermista. De barbaris autem nonnullis, quibus tanquam Latinis vterẽtur quidam, dictum antea fuisse meministi. FA. Hoc tibi per me licet. CA. Aliud etiã mihi permittas velim, nullum certum ordinem tenere, sed pro arbitrio à Nominibus ad Verba, à Verbis ad Nomina rursus trãsire. FA. Hoc quoque permitto. CA. Interdicit igitur noster Nizolius suis discipulis vsu nominis *Equiso*, & pro eo vt nomine *Agitator* vtantur imperat. FA.

Atqui *Equiso* eſt qui Græcis ἱππικόμος, at verò *Agitator*, qui ab iiſdem ἁρματηλάτης ſiue διφρηλάτης appellatur. CA. Hoc & ipſe noui: ſed vapulabunt Nizolij diſcipuli, niſi ei pareant. Prohibet idem ne vocabulo Fauilla vtantur, & in eius locum Scintilla ſubſtituit. FA. Atqui tantum eſt inter hæc duo diſcrimen, quãtum inter σποδὸς & σπινθήρ. nã Scintilla eſt σπινθὴρ: at Fauilla (præſertim ſi minus exactè diſtinguatur à Cinere) σποδὸς, ſiue σποδιὰ, ſiue μαρίλη: aut deniq; τέφρα. Quinetiam vox αἰθάλη alicubi hac in ſignificatione poſita inuenitur. CAM. Quid? an ſi Nizolius nullum inter Fauillam & Scintillam diſcrimen ſtatuit, tenentur eius diſcipuli vllũ agnoſcere? FA. Saltem non erit cur vapulent, ſi ſuo magiſtro bene dictata reddant. CA. *Sculptor* dicere fas non eſt Nizolij diſcipulis: ſed pro hoc dicendum illis eſt *Fictor*. Quinetiam *Statuarius* ex illis eſt nominibus quorum vſus minimè illis eſt cõceſſus: & huius quoque loco *Fictor* dicere iubentur. FA. Sed tamen multum hæc inter ſe differunt. nam *Sculptor* eſt qui Græcis γλύπτης ſiue γλυφεύς: *Fictor*, qui πλάστης: *Statuarius*, qui ἀνδριαντοποιὸς ſiue ἀγαλματοποιὸς appellatur. CA. Quinetiam *Macreſco* ſuos dicere non ſinit Nizolius, ſed pro eo vt verbo *Extabeſco* vtan-

tur præcipit. FA. Absit vt quicunque macrescunt, tabescant. nam *Macresco* siue *Macesco* est tãtùm ἰσχναίνομαι, at *Extabesco* est φθίνω: sicut *Macies* est ἰσχνότης, at verò *Tabes*, φθίσις. CA. Audi ἁμάρτημα quod non minus quàm vllum ex præcedentibus miraberis. *Decimare* suos dicere prohibet: pro eo vti verbo *Decussare* iubet, addens, *hoc modo* X. FAB. Meritò certè dixisti non minus errorem hunc quàm vllum ex præcedẽtibus mirum mihi visum iri. non minus enim est crassus: quum Decimare sit δεκατοῦν, siue ἀποδεκατοῦν: at Decussare, χιάζειν. Ac, si ex iis erroribus quos proximè recensuisti vllus est ob quem vel pueri flagris digni videri possint, hic certè vel maximè. CA. An velles vapulare Ciceronianos vel pueros, vel viros, si sui doctoris præceptis obsequuntur? an velles illos vltra sui magistri dictata sapere? FA. Heu miseros discipulos. CA. Miseriores tamen futuros, si immerẽtes vapularent, & sua terga pœnę magistro suo debitæ vicaria præbere cogerẽtur. Verùm oblitus eram verbi *Infesto*, cuius etiam vsum suis non permittit, & *Infestum reddo* dicere eos iubet. an verò meministi te verbum Infestare hac in significatione legere? FA. Tu verò an putas vllum vnquam ita vsum esse? CA. Non equidem. Sed ii

à verbis ad Nomina (ita enim mihi pro arbitrio vagari permisisti) reuertendum censeo. Credísne igitur Classicum & Bellum vnum atque idem significare? FA. Nequaquã. CA. Hoc tamẽ suos credere iubet Nizolius, qui eos nõ Classicum sed eius loco Bellum vult dicere. FA. Qui tamen hoc credent, quid non credituri sunt? CA. Pro *Dociliter* vult eos dicere *Intelligenter*: pro *Mucus* iubet dicere *Humor*: necnon *Humidus* pro *Aqueus*. Pro *Cicuritas* vult ab illis dici *Mansuetudo animi*: perinde ac si cicura animalia non essent quæ feris opponuntur, vt Græcè ἥμερα ἀγρίοις. Hæc autem quum ita sint, nihil mirum fuerit si in illis quæ ignotiora sunt, eum peccare videamus: veluti quum pro *Cuspide* iubet *Mucronem* dicere. multos enim esse scio qui Cuspidem prima propriáque significatione à mucrone differre ignorent. quum in hasta (exempli gratia) cuspis dicatur nõ solùm ἡ αἰχμὴ, sed etiam ὁ σαυρωτὴρ, quo terræ infigitur: at mucro propriè sit non tota αἰχμὴ, sed eius acumen. Sed eum qui in triuialibus errarit, in iis, quæ perinde vulgaria non sunt, errare mirum videri non debet. Ideo etiam non miror nomen *Infumibulum* ab eo cum nomine *Vaporarium* confundi: nec voces *Pulmentarium* & *Plantarium* cum vocibus

Pulmentum & *Planta* confundi : & dicere *Fundus* idem esse quod *Feudatarius*. Quinetiam seu verum seu falsum quarundam vocum vsum non in vno loco ponit. Exempli gratia, quum pro *Circumferentia* dicere *Libramentum* iussisset, rursum in voce *Superficies* illam *Libramentum* pro hac substituit. Et quum in *Conditionalis* præcepisset suis vt vocabulo *Connexum* pro illo vterentur, iterum in nomine *Hypothetica*, illudi huius locum reponit. In hoc etiam peccat quòd ea vocabula quorum alioqui latius patere potest significatio addito genitiuo non restringit, vt ita dicam. FA. Nisi exemplum afferas, vix assequar quod nunc à te dicitur. CA. Duo afferam. Pro *Corporatura* vult dici *Habitus*, quum adiecto genitiuo *corporis* dicendum esset, *Habitus corporis*. Alioqui enim est Habitus non solùm corporis, sed etiam peculiariter oris: est & vestis habitus: est denique & habitus animi. Sic pro voce barbara *Complexio* præcipit vt *Constitutio* dicatur, quum addendus esset idem ille genitiuus *corporis*. Solet enim adiici, nisi eius iam facta fuerit mentio, aut aliquid præcesserit quod ad ipsum referri ostendat. FA. Nunquam ego credidissem Nizolium tam multa ignorantiæ suæ pariter & negligentiæ testimonia in illo suo o-

pusculo reliquisse. CA. Multos alios esse scio qui id nunquam sibi persuadere potuissent. Sed addendum etiam est audaciæ. perinde enim acsi per quãdam metempsychosin rediuiuum in seipso Ciceronem sentiret, ea etiam verbis Ciceronianis à se efferri posse existimauit quæ non solùm incognita & inaudita Ciceroni fuerunt, sed ne vllam quidem cum ijs affinitatem habẽnt quæ ille cognouit. Hinc fit vt non solùm pro Episcopo nomen quoddam tanquam Ciceronianum substituere audeat, (inuẽturus fortasse & quod pro Cardinali ex eodẽ Cicerone substitueret, si fœcũdũ concutere pectus voluisset) sed etiam quomodo *Missa* Ciceronianis verbis appellanda sit tradat. FA. Sed vtro modo vult suos Ciceronianos loqui? vtrum Missam audire, an Missam videre, vult ab illis dici? Nam Italos sequendo missa videtur, ab alijs autẽ multis missa audiri dicitur. CA. Ad hæc arcana non penetrauit. Sed audi quomodo illud etiam quod vulgò dicimus, *Euangelium secundum Lucam*, ex Cicerone emẽdet. FA. Quænam est, obsecro, illa emendatio? CA. *Euangelium Lucæ*. FA. Et fuit tamen Christianus Nizolius. MAR. Túne hac etiam de re dubitas? FA. Propemodum dubitare me cogit illud quod à Camillo ex

eo affertur. quomodo enim illi in mentem non venit, fore vt se horrendo crimine læsæ maiestatis diuinæ contaminaret, si quod ipsi Euangelistæ appellarunt IESV CHRISTI Euangelium, eorum ipse Euãgelium vocaret? Quomodo non animaduertit, si itidem pro his verbis *Euangelium secundum Marcum*, substitueret illa, *Euangeliũ Marci*, lectorem miraturum, quod in titulo dictum sit *Euangelium Marci*, statim pòst ab ipso Marco Euangelium IESV CHRISTI appellari? M. Aliud est, Latinè (præsertímque Ciceronianè) aliud, Christianè loqui. Adde quòd ipse Paulus suum Euangelium alicubi vocat, ni fallor. FA. Vocat quidem certè, sed alia ratione: neque dubium lectori relinquit quomodo id intelligendum sit. quum enim passim εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ appellet, alicubi etiam εὐαγγέλιον τοῦ Κυρίου, siue τοῦ Θεοῦ, suum vocare se satis ostendit cuius factus sit διάκονος, vt alibi loquitur: ita vt τὸ εὐαγγέλιόν μου alijs eius ipsius verbis exponi queat τὸ εὐαγγέλιον τὸ εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ. Denique quum dicit Euangelium meum, perinde est acsi diceret, Euangelium à me prædicatum, siue promulgatum: aut Prædicatio mea siue promulgatio Euangelij, vel, Doctrina Euangelica quæ à me promulgatur. MAR. Aliud est,

inquam, Latinè loqui (præſertímque Ciceronianè) aliud, Chriſtiane. CA. Non animaduertis Fabi, Marcum eandem ſemper velle cantilenam canere? & de his apud eum diſſerere, nihil aliud eſſe quàm fabulã aſino canere? ſurdo dicere volui. Itaque deſinamus in illam eius cenſuram inquirere qua reprehẽdit eos interpretes qui κατ' Λουκᾶν reddiderũt Secundum Lucã: & demus illi, non ſatis Ciceronianè loquutos eſſe: quid? eíne ipſum etiam Ciceronem in illo ipſo vocabulo reprehendere per nos licebit? FA. Imò verò ne per Ciceronianos quidem ei licere debet Ciceronem reprehendere. Quid enim aliud hoc fuerit quàm ſuę ipſos doctrinæ fundamenta conuellere, & quaſi nauem ſuam perforare? CA. Oſtẽdã tamen hoc ab eo fieri. nam *Secundum virtutem uiuere* reprehendit; tanquam non Ciceronianè dictum, quum tamen ipſe Cicero illa præpoſitione ſiue illo aduerbio Secundum ita vtatur. MAR. Dicítne Cicero Secundum virtutem viuere? CA. An huic accuſatiuo iungat, neſcio: ſed ab illo dici ſcio Secundum naturam viuere. MAR. Diuerſi ſunt iſti accuſatiui. CA. Quæ eſt iſta Ciceronianorum Nizolianorum ſuperſtitio? ſi apud Ciceronem lego *Secundum naturam uiuere*, item *E natura uiuere*, cur non

pro eo quod ab illo dicitur *Ex uirtute uiuere*, dicere etiã liceat (si varianda sit oratio) *Secundum uirtutem uiuere?* MAR. Tanta libertas nobis non conceditur. FA. Misera est igitur Ciceroniastrorum natio, quæ se tam arctis compedibus vinciri sinit, vel potius ipsamet tam arctas compedes sibi impingit. Sed quæ est illa tam attenta cogitatio in qua Marcum nunc versari vultus eius præ se fert? CA. Non aliud eum cogitare puto quàm miram esse eorum qui in Ciceronis verba non iurarint licentiam: quippe qui hanc etiam Ciceroniastrorum appellationem sibi permittant. FA. Valde miratus & ipse Nizolius fuisset talem appellationem, ac nequaquam Latinè, nedum Ciceronianè eam posse dici contendisset. Imò verò ne illud quidem aduerbium Ciceronianè pro Ciceroniano habendum dixisset. CA. Quid mirum, quum etiam quædã verba ex ijs quæ apud Ciceronem extant, & quidem absque vlla deprauationis exẽplarium suspicione, Nizolius pro Ciceronianis non habeat? Posit tamen vtcunq; huic errori venia dari, quòd eum aliqua ex parte agnouisse videatur. Nam in ea illius opusculi inscriptione quæ est in prima editione Italica (Basiliensis enim valde diuersam habet) postquam dictum est, *Vocabula*

quædam barbara, uel Latina quidem, ſed non Ciceroniana, quo pacto Ciceronis more, id eſt Latiniſſimè & elegantiſſimè, dici poſſint: additur, *In quibus tamen nonnulla ſunt quæ mihi, quum hæc ſcriberem, Ciceroniana uidebantur: ſed librum aut locum in quo eſſent, non memoria tenebam*. FA. Atqui hæc addens, non minus accuſare ſe quàm excuſare videtur. dum enim vult nobis perſuadere ſe ſuſpicatum eſſe illa extare apud Ciceronem, ſuam in illis nihilominus repudiandis temeritatē prodit. CA. Alius eſt non minus periculoſus error, quem non itidem agnouiſſe dici poteſt. FA. Quiſnam? CA. Quòd, ſicut adimit Ciceroni quædam ex ijs quæ eius ſunt, ita viciſsim nonnulla quæ eius non ſunt illi tribuit. FA. Memini me in quodam Henrici Stephani Dialogo, qui inſcriptus eſt Pſeudocicero, aliquot legiſſe vocabula, quę ille Nizoliū ita Ciceroni affingere queritur. CA. Me quoque ibi ea recordor legiſſe: ſed multo inuenire plura potuiſſet, ſi plus temporis in quærendo ponere voluiſſet. Ab eo enim vnà cum nomine *Facetoſus* non commemoratur etiam nomen *Maleficioſus*, quod alioqui eſt eiuſdem ordinis: neque vbi fit mentio diminutiui *Capitulum*, aliud quoddam ei additur, *Diſculus*. FA. Quid? nónne & *Mendaciunculum* cum

his commemorandum esset, quanuis non solùm à Nizolio, sed ab alijs etiam quibusdam pro Ciceroniano agnoscatur? FA. De hoc dubito. sunt enim qui non *Mendaciunculus* apud Ciceronem legant, sed *Mendaciolis*: verùm non desunt qui illud defendant. Quinetiam nomen illud Disculus talẽ diminutionis formam non habere fateor vt ob eam repudiari debere videatur: sed falsò tamen ex quodam loco epistolarum ad Atticum affertur. Hoc enim est cuiusdã ex libro quarto principiũ, in primis editionib⁹, *Multa me in epistola tua delectarunt: sed nihi magis quàm patina tyrotaricha cœnam parari disculo. Quod scribis*, μήπω μέγ' εἴπῃς, &c. quũ scribendum sit (vt postea ex veterum librorum fide scriptum fuit) *Multa me in epistola tua delectarunt: sed nihil magis quàm patina tyrotarichi. Nam de raudusculo quod scribis*, μήπω μέγ' εἴπῃς, &c. Hac autem voce exiguũ æs significatur, quòd æs prisci raudum appellarent: hîc autem ea Cicero exiguum sumptum intelligit. qui eadem aliquot alijs locis vtitur: sed in iisdẽ illis primis editionibus scriptũ fuit litera maiuscula eius principium, perinde acsi loci nomen esset: quinetiam alicubi raudusculo in Randusculo fuit mutatum. FA. Perge in enumeratione illorum vocabulorum quæ Henricum

Stephanum addere potuisse dicis ijs quæ Nizolius falsò Ciceroni adscribit. CA. Ex ijs est etiã *Cohærarius* & *AEquilibralitas*. cęterorum autem ne ipse quidem recordor. Sed memini me apud Nizolium hãc quoque nouitatem obseruare, quòd ex duabus vocibus vnam, ex vna vicissim duas faciat. veluti quum vult vnicam esse vocem *Benedicta* in hoc Ciceronis loco, *Bene dicta malè interpretari*: & vicissim *Malefacta* in duas diuidi, in isto, *Beneficia malè locata, malè facta arbitror*. Quam lectionẽ si sequeremur, pro Ciceroniano habendum esset hoc loquendi genus, *Beneficium facere malè*. Quòd si hoc, etiã illud, *Beneficium facere bene*. FA. Sicut attulisti exempla eorum quæ Nizolius Ciceroni falsò adscribit, ita velim exẽpla quæpiam proferas eorum quæ illi adimit. CA. Non loquar de ijs vocabulis quæ exemplarium discordia controuersa potest reddere (quorũ in numero est *Incorporeus*, præsertim quum à Gellio minimè pro Ciceroniano agnosci videatur) neque de ijs quæ si apud illum extant, valde saltem rara sunt, vt verbum *Sæuire*, verbale *Contemptus* (quæ, sicut alia multa, & quædam etiam loquendi genera, ex quibus est, *Bona uerba*, etiamsi non extarent in vllo eorum quæ ad nostram ætatem peruenerunt Ciceronis

librorum, eiusmodi sunt tamen vt credibile sit in quopiam eorum qui intercide-runt extare: sicut nonnulla in vnico loco eorũ omnium quos habemus eius librorũ videmus reperiri) nõ iam, inquam, de illis loquar: sed de vno quod meritò valde suspectam omnibus Nizolij fidẽ reddiderit. FA. Dic sodes quódnam illud sit. CA. *Malus*. FA. Etiámne vocabulum *Malus* à Nizolio tãquam minimè Ciceronianum reiicitur? CA. Reiicitur in illo Indice. FA. Etiámne in editione Italica? CA. De Basiliensi saltem affirmare possum. FA. Mirum si in illa potius quàm in altera repudietur illud nomen, quum contrà Cælius Secundus, qui ei præfuit, hanc saltem maculam eluere debuerit. Sed quænam Ciceroniana pro illo *Malus* minimè Ciceroniano ibi substituuntur? CA. *Flagitiosus*, *Nequam*, *Impurus*, *Improbus*, *Sceleratus*. FA. Ergóne quicunque malus est, is Ciceronianè loqui volentibus est flagitiosus? est impurus? est sceleratus? Proh quàm periculosum fuerit haberi malum à Ciceronianis Nizolianis! CA. Malos certè homines nos vocare Marcus non ausit; at flagitiosos, nequam, impuros, sceleratos appellare non dubitet, si superiorum altercationum recordetur. FA. Quid? an Malus homo Ciceronianè dici

dici putas? CA. Vnde tibi in mentem venit hac de re dubitare? FA. Quia recordor, diu multúmque dubitatum esse à quibusdam Ciceronianis an Ciceronianum esset dicere Bonus homo: & an sicut Bonus vir, ita etiam Bonus homo à Cicerone diceretur. non minus autem videtur esse rationi consentaneum vt de illis vocibus Malus homo, quàm vt de his Bonus homo, ambigatur. CA. A te facta boni hominis & boni viri mentio in memoriam mihi reuocauit Nizolianam quandam præceptionem quam prætermiserã. FA. Quænam ea est? CA. Vt dicamus *Bonis temporibus*, non autem *Antiquitus:* & quidem Ciceronem hîc quoque sequendo. FA. Vbi, quæso, Ciceronem ita loqui dicit? CA. Libro De off. secũdo. FA. Ipsúmne locum affert? CA. Nequaquam: sed eum facilè inueniam. FA. Iam inuentũ cuperem. CA. Desine hoc cupere. nam voti es compos. Audi igitur: *Quanquam intelligo in nostra ciuitate inueterasse iam bonis temporibus ut splendor ædilitatũ ab optimis uiris postuletur.* FA. Si igitur Nizolio fidem habeamus, hæc verba, *inueterasse iam bonis temporibus*, dicemus idem valere quod *inueterasse iam antiquitus:* at ego Ciceronẽ non tam voluisse antiqua tempora significare dico, quàm simpliciter superiora tempora (vt

etiam Superiori memoria solet dicere) quibus bonus erat reip. status, ob incorruptũ disciplinæ genus. Alioqui fateor valde illo etiã seculo laudatã fuisse antiquorũ disciplinam & mores: adeo quidem vt antiqui mores & antiqua disciplina velut in prouerbium abierint. Fateor etiam in Gallico sermone hanc boni temporis appellationẽ aliquãdo dari priscis tẽporibus: veluti quũ dicitur A *la maniere du bon temps*. Verùm vt eò redeam vnde sum digressus, non minus rationi consentaneum mihi videri dico vt de his vocibus Malus homo, quàm de his, Bonus homo, dubitatio iniiciatur. CA. Imò fortasse aliter iudicares si Ciceronianus Nizolianus esses. FA. Hanc ego metamorphosin deprecor. CA. Hoc tamen ex ea metamorphosi commodum perciperes, quòd omnes scriptores præter Ciceronem impunè negligeres. FA. Etiámne Plautum, Terẽtium, Cæsarem, Sallustium? CA. Etiã hos. FA. Quomodo autem aut quo iure Plautum etiam & Terentium reiiciunt qui ab ipso Cicerone tantum abest vt reiecti, vt magno in pretio, quod ad sermonem attinet, habiti fuerint? CA. Nulla omnino coram illis Plauti facienda est mẽtio: quia statim clamabunt omnia apud eum esse obsoleta. FA. Mentientur quidem certè

ſed miſſum tamẽ faciamus Plautum: quid verò cauſæ dicent quin Terentium admittant? *Sequutuſque ſum* (inquit ad Atticum ipſe Cicero) *non dico Cæcilium* (*malus enim autor Latinitatis eſt*) *ſed Terentiũ, cuius fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur à C. Lælio ſcribi.* CA. Quid prætexere poſſint neſcio: ſed ab eorũ præceptore Nizolio reiici aliquot vocabula video quæ apud Terẽtiũ etiam extant. ex quibus ſunt, *Incogitans*, *Infortunium*, *Ringor*, *Remordeo*. Quódque indigniſsimum atque adeo contumelioſiſsimum eſt, hæc quoq; Terentiana vocabula in medio illius colluuiei, in qua cùm alia tum etiam *Barbitonſor*, & *Becchata* & *Homagium* iacere diximus, collocat: tanquam *πάντα ὑπὸ μίαν Μύκωνον* ponenda ſint. Quid mirum autem ſi quædam reiiciat quæ nos non alîus quàm Plauti aut Terentij autoritate confirmare poſſumus, quũ eum nonnulla repudiare non pudeat quæ non tam quis quàm quis non vſurpauerit ex primarijs linguæ Latinæ ſcriptoribus, quærendũ eſt. Exẽplo erit aduerbium *Properè*. hoc enim nõ tãtùm Plautus & Terẽtius vſi ſunt, ſed Salluſtius etiam, Cæſar, Liuius, Virgilius, Horatius. FA. Itáne hoc etiam vocabulum reiiciendum cenſuit Nizolius? CA. Si mihi fidem nõ habes, hæc lege. FA. Non

quòd tibi fidem derogem, sed præ admiratione ita loquutus sum. Quod autem aduerbium in locum illius substituit? CA. *Festinanter.* FA. Sicut *Festinare* & *Properare* inter se differre quidam olim putauerunt, ita etiam inter *Festinanter* & *Properè* aliquid esse discriminis aliquis fortassis obiiciet. CA. Quomodo verò vllam inter hæc differentiam Nizolius perspicere posset, cuius oculi ne ad eam quidem quæ est inter *Properus* & *Præproperus* perspiciẽdam sunt satis acuti? FA. Non tantùm parum acutos sed valde hebetes mihi narras oculos. CA. Tales sunt tamen. nam si id perspicere discrimen potuisset, non dixisset quod hîc vides, pro *Properus* dicẽdũ *esse* *Præproperus*. FA. Video sanè: simul verò & aliud quod ei valde est propinquũ, & à te miror fuisse prætermissum. CA. Quid? an omnia huius Nizoliani opusculi siue σφάλματα, siue πλάσματα me tibi allaturum promiseram? FA. Insigniora saltem omnia à te expectabam. CA. Ne ea quidem omnia me tibi exhibiturum receperam. Sed quódnam illud est, quod tu inter insigniora numerandum cẽses? FA. Quòd vult pro *Propatulus* dici *Prõptus*, quasi hoc idẽ valeat quod illud. CA. Imò verò multa sunt à me prætermissa πλάσματα, quæ multo sunt isto insigniora. vísne

aliqua proferam? FA. Malim nos vnde digressi sumus reuerti. CA. Ne ipse quidē id nolim. FA. Putásne Nizolium, quum aduerbium *properè* reiiceret, sciuisse, Plautū, Terentium, Sallustium, Cæsarem, Liuium, Virgilium, Horatiū, eo vsos esse? CA. Eum hoc minimè sciuisse persuasum habeo, & quosdam ex his ne legisse quidem vnquā: sed etiamsi apud illos omnes extare vocabulum illud non ignorasset, non minus reiectūrū fuisse puto, non alia de causa quàm quòd apud Ciceronem non cōpareret. FA. Atqui multorū vocabula recipit Nizolius qui Ciceronis quidem ætate vixerunt, sed Ciceronianè nō scripserunt. Nam primùm quidem quod ad illos attinet quorum epistolæ Ciceronianis insertæ sūt, quotusquisque eorum eundem habere stylum dici potest? Ipse filius à patre hac quoq; in re degenerat, si ita hoc vti verbo licet: ac nihilo magis frater orationis fraternæ elegantiā & succum assequitur, vel in suis epistolis vel in suo De petitione cōsulatus libello. De alijs autem quid dicemus? totus liber octau⁹ habet M. Cœlij epistolas, decimus non paucas Planci, tres Asinij Pollionis, duas M. Lepidi, vnā Ser. Galbæ: libro duodecimo duæ sunt Lentuli, vna Trebonij, vna Matij. libro quarto insertæ suntj duæ

Seruij Sulpitij, vna Marcelli: libro quinto, duæ Q. Metelli, duæ P. Vatinij, vna Lucceij: denique per totũ illud epiſtolarum volumen ſparſæ ſunt & aliorum epiſtolæ, Catonis, A. Cæcinnæ, Curij, Dolabellæ, Bithynici, præſertímque Caſsij, D. Bruti, & M. Bruti: cuius etiam nonnullæ extant inter eas quæ à Cicerone ad ipſum ſcriptæ fuerunt, & ſeorſum editæ. Inter epiſtolas autem ipſius Ciceronis ad Atticum, quædam ſunt eiuſdem Bruti, quinetiam Cæſaris & Pompeij. Ex his verò omnibus epiſtolis quas eſſe Ciceronianas, id eſt, Ciceroniano ſermone ſcriptas, dicere poterimus, & quidem aſſentientibus illis qui ſe Cice-ronianos haberi volũt? Ipſe Paulus Manutius, eorum velut anteſignanus (hos autẽ à Ciceronianis Nizolianis diſtinguo) ſuis in epiſtolarum volumẽ ſcholijs de Cæliani ſermonis in epiſtolis aſperitate queritur, eãdémq; Aſinio Pollioni obiicit. Idem de hoc loco epiſtolæ cuiuſdam Ciceronis filij loquẽs, *Nam cùm omnia mea cauſa uelles mihi ſucceſſa, tum etiam tua*, poſitũ eſſe ait Succeſſa pro Succeſsiſſe: quod tamẽ Latini ſermonis cõſuetudinẽ vix ferre videri. Quibus addit, Omnino mirari ſatis nõ poſſum, nõ modò ab elegãtia & copia ſed interdum etiam à proprietate paterni ſermonis lõgè diſtare

orationē filij. quod volūtatis potius quàm naturæ vitium esse arbitror. Verùm ego etiamsi dem Manutio, sermonem filij Ciceronis à paterni elegantia longè abesse, nō tamen dederim eum ita hîc scripsisse: potiúsque voces illas, *mihi successa*, aut *mihi successisse*, adiectas esse ab aliquo crediderim cui nouum illud genus loquēdi videretur, *Omnia mea causa uelles*. Ac videtur profectò magnam Ciceronis filio iniuriam facere Manutius quum eum ita scripsisse credit. Vt autem quū dicitur, *Omnia mea causa uelles mihi successisse* (nam hoc etiam modo potius quàm altero scriptum fuisse puto) non dubito quin redundent hæc, *mihi successisse*: ita vicissim quum dicitur *Volo tua causa*, suspicetur fortasse quispiam deesse *omnia*. CA. Magnam ea in re à Manutio fieri Ciceronis filio iniuriam, tibi assentior: sed magis miror ab eodem Manutio locis plerisq; Ciceroni patri soloecismos obiici: ac multo hanc siue iniuriam siue contumeliam grauiorem esse dico. FA. Quid ais? CA. Quod verum esse comperies, si libeat nuper editum Henrici Stephani dialogum, qui Pseudocicero inscribitur, legere. MAR. Imò ego (iam enim ira silentium me cogit rumpere) ipsum Manutium à te magna iniuria affici cōtendo, quippe

qui criminis falsò à te insimuletur. CA. At ego te non patiar hinc priùs discedere, quàm te dialogus ille Henrici Stephani (cuius acerrimo certè patrocinio *Cicero* aduersus Manutium defenditur) non autẽ me mendacij conuicerit. FA. Huic priùs sermoni finis est imponendus: præsertim quum iam Marcum, sicut antea, auditorẽ simus habituri. CA. Illi priùs finẽ imponi & ipse cupio. FA. Dicebã, Marce, me mirari, à Nizolio cùm alios quosdam è primarijs scriptoribus excludi, tum verò Terentium: interim tamẽ multos recipi qui ętate quidẽ Ciceronis vixerunt, sed nequaquam Ciceronianè scripserunt. MAR. Audiui quæ à te super hac re dicta sunt: sed aures præbere me tuo sermoni dissimulabam, ne tibi respondere cogerer. Respondebo tamẽ quod Ciceronianos quosdam respondentes audiui. FA. Rem vtrique nostrûm gratissimã facies. MAR. Quũ videret Nizolius noster, eorum quos nominâsti epistolas illis esse insertas quę ab ipso Cicerone sunt scriptæ, itidémque quandam Sallustij orationem orationibus ipsius esse insertam, quinetiam Q. fratris libellum De petitione cõsulatus illius operibus adiectum esse; quæ tam longa series annorum à Cicerone non disiunxisset, disiũgere se à suis in Ciceronem ob-

ſeruátionibus non debere exiſtimauit. FA. Nullúmne alioqui delectum, nullum iudicium adhibuit? CA. Quod iudicium ab eo adhibitum eſſe velles qui iudicio caruerit? MAR. Bona verba, Camille. CA. Atqui, vt dixit tragicus, Οὐκ ἔστ' ἀπ' ἔργων μὴ καλῶν ἔπη καλά. quî autẽ me ἀληθεύειν negabis? nónne videmus eum non ſolùm illorum omnium quos nominauimus vocabula, ſed vetuſtorum etiam poetarum, Ennij, Accij, Pacuuij, Lucilij quædam omnino obſoleta, vocabulis Ciceronis ſub eiuſdem nomine immiſcuiſſe? Quinetiam ſiquid Cæcilij nactus eſt, quanuis eũ Cicero malum autorẽ Latinitatis fuiſſe queratur, non ſub alîus quàm ipſius Ciceronis nomine protulit. Quæ enim Ciceronis vocabulis apud eum permiſta leguntur, non præfixo alîus ſcriptoris nomine, vt internoſcantur, cui alij quàm Ciceroni adſcribẽda exiſtimentur? FA. Non ſatis ſum memor an vbi illorum veterum poetarum affert vocabula, lectorem moneat. CA. Ego verò optimè recordor minimè ab eo moneri. ſed in rem præſentem ire ſatius fuerit. Hîc iam habemus *Adulo, as*: & *Adulor, aris*: tanquam vtrunque ab ipſo Cicerone dicatur: quum tamẽ illa vox actiua ſit ex verſu cuiuſdam veteris poetæ, qui à Cicerone citatur. FA. Illius

versus memini. CA. Hîc verò est *Lætificus*. & subiungitur, Cic. *Tusicul. Vites lætificæ non intermittunt pampinis pubescere.* FA. Ne *Tristificus* quidem, vt opinor, & *Luctificus*, omiserit. CA. Nisi autem vererer ne tibi horrorem incuterem, ostenderem etiam *Horrificus*, & *Horrisonus*. Sed ecce tibi aliud adiectiuum, quod itidem ad tristitiã pertinet, *Obnubilus*, & ipsum tanquam Ciceronis vocabulum. En tibi aliud eodem pertinens, *Tenebricus*. Sed nescio quomodo hæc ad tristitiam pertinentia vocabula sese alia ex alijs offerũt. vereor ne hic talium verborum concursus mali sit ominis. Addendum tamen est *Biformatus*. FA. Quàm bellum hoc vocabulum, & Ciceroniano sermoni conueniens! Verùm aliquas etiam voces profer ex earum genere quas grammatici ad eam orationis partem referunt quam verbum appellant. CA. Ex illis est *Grandescere*, *Incurnescere*, *Verrũcare*, *Expectorare*. FA. Quædam sunt ex vocabulis à te commemoratis, aliisque eiusdem generis, quibus si vtãtur Nizolij discipuli, tanquàm Ciceronianis, haud fortassis excusandi fuerint: etiãsi à Nizolio minimè admoneantur, Ciceronis non esse, quanuis apud Ciceronem inueniantur (talia autem sunt ista, *Horrifer*, *Anxifer*, *Flammifer*, *Tardigradus*, *Biformatus*

&, inter illa quæ appellantur à grammaticis verba, *Verruncare*, *Expectorare*. quis enim ex ijs cui tantillum sit iudicij, hæc nomina esse poetica, nullique soluto sermoni, nedum Ciceroniano, conuenire non videat, quum nescio quid poeticum, & quidem tragicum, præ se ferant?) sed alia sunt vicissim quę vt pro Ciceronianis à Nizolio exhibentur, ita tãquã Ciceroniana ab illis recipi, & suo sermoni soluto adhiberi, & non mirum & venia dignum fuerit. Nam vt *Horrifer* & *Horrisonus* suspecta habere poterit, quòd talibus compositis Ciceronem non gaudere videat: non etiam *Horrificus* (exempli gratia) suspectum illi fuerit: quippe qui contrà terminationem hanc in quibusdam compositis à Cicerone amari obseruarit. Idem & de nomine *Cordatus* dico, & de verbo *Grandescere*. quis enim hæc Ciceroniana non esse, quanuis legantur apud Ciceronem, suspicetur? præsertim verò quum multa apud eum extent vocabula in quibus non minorem nouitatem & insolentiam aut etiam audaciam agnoscamus? MAR. Quid? túne etiam nomen *Horrificus* & verbum *Grandescere* in eorum numero ponis quæ licet apud Ciceronem extent, non sunt tamen Ciceroniana? FA. Pono quidem certè. MAR. Atqui non alius

poetæ quàm Ciceronis est hic versus,

Lentiscus triplici solita grandescere fœtu.

FA. Fateris interim non esse Ciceronis oratoris, sed Ciceronis poetæ. MAR. Quasi verò Cicero orator, historicus, philosophus, poeta, non sit vnus idémque Cicero. FA. Quasi verò quũ de Ciceronis sermone loquimur, de alio quàm de soluto (ita enim vocare possum) intelligamus: & quasi nõ habeamus alios ex quibus melius quàm ex Cicerone poeticum sermonẽ petere possimus. MAR. An igitur Nizolium vocabula quibus Cicero in carmine tantùm vtitur, à cæteris separare oportuit? FA. Nullus, *nisi* qui verè Nizolianus sit, negauerit quin Nizolius hoc facere debuerit. Non tamen ita separare vt seorsum ponerentur, sed aliqua saltem nota distinguere, aut certè in singulis lectores admonere. CA. Potuisset etiam semel lectores pręmonere in sua pręfatione, vt in suo sermone nõ omnibus promiscuè vocabulis vterentur quæ in Ciceronis Phænomenis Arateis legerent, sed quædã carmini reseruanda esse scirent. at nunc vnde nosse poterit Nizolij discipulus *Parilis* (exempli gratia) Ciceronis quidem esse, sed duntaxat Ciceronis carmen scribentis? MAR. Ad illud verò adiectiuum *Horrificus* quod attinet, id non in carmine duntaxat

vſurpat Cicero, ſed etiam in ſoluto ſermone: nimirũ in oratione quã habuit pro domo ſua: *Sed quid ego veſtrã crudelitatem expromo, quam in meipſum ac meos adhibuiſtis? qui parietibus, qui tectis, qui columnis ac poſtibus meis horrificum quoddam & nefarium omnique imbutum odio bellum intuliſtis?* FA. Controuerſam ibi eſſe hãc lectionem reſpondeo: & annotari pro *horrificum* reperiri in quibuſdam vet. libris *hoſtificum*. ex quo faciendũ videri *hoſticum*. Verùm eſto, hanc vocem ibi minimè poſſe in dubium vocari; id certè nón pro Nizolio ſed contra Nizolium facit, atque id quod dixi comprobat. Nam ſi etiã *horrificum* vſurpare in ſoluta oratione non dubitat Cicero, quanuis carmini ſit aptius, nónne malè de ſuis diſcipulis meretur Nizolius, dum lectorem non admonet quænam ex illis ita ſint obſoleta vt mirum non futurum ſit ſi pleriſq; ſordeat: (vt obſoleti tecti ſordes dixit Flaccus) aut quænam ita poetica vt nullum alibi quàm in carmine locum habere poſsint? Alioqui enim reſpondebunt diſcipuli, ſe poetica quædam in ſoluta oratione vſurpantes, Ciceronis ſequutos eſſe exẽplum. CA. Quomodo, obſecro, expectanda fuiſſet hæc admonitio ab homine qui iudicio (vt antea dixi) carebat? MAR. Caruit iudicio Nizo-

lius? CA. Nihil quidem certè iudicij in opere suo adhibuit. MAR. In qua re ad illud pertinente iudicium desideras? CA. Imò verò dicere vix possim in qua non desiderem. Prima est, quòd eas sine delectu ex omnibus scriptis quæ Ciceronis nomẽ præferebant, collegerit: adeo vt orationibus insertas declamationes quasdam, quæ nihil minus sunt quàm Ciceronianæ, perinde acsi non minus pro Ciceronis orationibus habendæ quàm vllæ aliæ essent, non minori honore dignatus fuerit. FA. Eam intelligis quam habuisse dicitur ad populum & equites Romanos antequam iret in exiliũ: eam item qua respondere Sallustio dicitur. CA. Eas profectó. FA. Nónne autem & ex Sallustiana (vt vocatur) in Ciceronem oratione vocabula & loquendi genera collegit? CA. Dubitas? siqua scripta Nizolius non dicam Apuleij (qui fortasse non tam malus est autor Latinitatis quàm vulgus putat) non dicam Solini, non dicam Spartiani, non Lampridij, non Vopisci, non Trebellij Pollionis, non Ammiani Marcellini, non Macrobij, non Iulij Firmici, non Fulgentij, non dicam denique C. Sollij Sidonij Apollinaris, aut aliorum huius farinę, sed eorum à quibus leges illæ Salicę, Allemannorum, Boioariorum, aliorúmque

multorum conſcriptæ ſunt, libris Ciceronis inſerta reperiſſet, pari certè honore in colligendis ſuis obſeruationibus ea affeciſſet. FA. Mirum eſt profectò quædam ab eo pro Latinis recipi quòd in illa oratione extent quam Salluſtio falſò adſcribi manifeſtiſsimum eſt: quum interim in illa quam modò examinauimus Appendicula, ſiue in illo Indice, multa tanquam barbara reiiciãtur, quæ in libris verè & ſine controuerſia Salluſtianis extant. CA. Imò minimè hoc mirum eſſe debet in homine iudicio carẽte. Sic etiam, quanuis ea quoque vocabula repudiarit quæ apud Terentium extant, quòd ea non legerit apud Ciceronem, ea tamen quæ ſunt in ijs locis quos citat Cicero, admittit, ſed tanquam Ciceroniana, nulla Terentij facta mentione. Quòd ſi cõtigiſſet vt bona comœdiarum huius pars Ciceronianis libris eſſet inſerta, non minus libenter quæcunque in ea occurriſſent ſine vllo diſcrimine admiſiſſet. FA. Sed aliud eſt, locum aliquem ſcriptoris cuiuſpiam ab ipſo Cicerone citari: aliud, ſcriptum aliquod Ciceronianis eſſe inſertum. Adde quòd hæc comica quæ Ciceronianis intermiſcet, Terentij ſunt, non Pſeudoterentij: at verò illa oratio cuius itidem verba & loquendi genera inter Ciceroniana ponit,

(lectorem non admonens, alius quàm Ciceronis illa esse) non Sallustij est, sed Pseudosallustij. CA. Fateor, multo magis hîc quàm illic à Nizolio, & cum multo maiore lectorum periculo peccari. Sed iam recordor, inter scripta quę Ciceroni falsò adscribuntur nō enumeratam fuisse illam ad Octauium epistolam. FA. Illam certè ipse quoque alicuius essę puto qui se declamatorum more exercere voluerit. neque verò dissimulabo, mihi quoties & hanc epistolā & orationes illas Ciceroni falsò adscriptas lego, in mentem venire verba illa quæ cùm alibi tum in Anthologia Græcorum epigrammatum leguntur, Τίνας ἂν εἴποι λόγους. CA. Non satis memini ipse horum verborū. FA. Non recordaris horum quæ libro primo leguntur? Τίνας ἂν εἴποι λόγους Πύῤῥος ἐπιβὰς τῆς Τροίας. item, Τίνας ἂν εἴποι λόγους Δηϊδάμεια, τοῦ Πύῤῥου πορθήσαντος τὴν Τροίαν. item, Τίνας ἂν εἴποι λόγους Ἀχιλλεὺς Ἀγαμέμνονος πρωθέντος. item (vt alios prætermittam qui interiecti sunt locos) Τίνας ἂν εἴποι λόγους ἡ Ἑλένη μονομαχούντων Μενελάου καὶ Πάριδος. CA. Incipio iam in memoriam horum verborū redire, Τίνας ἂν εἴποι λόγους, eáque & alibi me recordor legisse. Sed quod ad illam Octauio scriptam epistolam attinet, non ita eam omnes docti vno cōsensu reiiciunt vt illæ oratio-

orationes. FA. Hoc inde fit quòd Ciceronis ſtylum autor eius paulo melius imitetur. Sed iam verba illa, τίνας ἂν εἴποι λόγους, ſi non ad hanc epiſtolam, at certè ad quampiam ex orationibus illis aptemus: atque (exempli gratia) in locum iſtius tituli Latini, *Ciceronis oratio antequam iret in exilium*, hunc Græcum ſubſtituamus, Τίνας ἂν εἴποι λόγους ὁ Κικέρων πρὶν φυγαδευθῆναι, ſiue μέλλων φυγαδευθῆναι, aut ἐξορισθῆναι. CA. Nunquám ne Fabi quandam Aonij Palearij orationē vidiſti quam in L. Murenam ſcripſit? FA. Fama duntaxat mihi nota eſt illa oratio, nunquam à me lecta. CA. Nunc mihi in mentem venit, ſi in editione qua vſus eſt Nizolius, orationi Ciceronis pro Murena typographus eam ſubiunxiſſet, eodem illam quoque honore affecturum fuiſſe Nizolium quo Pſeudoſalluſtianam affecit. FA. Cui dubium eſſe hoc poteſt? CA. Marco fortaſſe dubium erit. FA. Nihil moror eius iudiciū, præſertim quū ſuſpectum ſit. Sed tenéſne memoria quidpiā ex ea oratione? CA. Duas periodos primas me poſſe recitare arbitror. F. Recita. C. NVNQVAM ego putaui, iudices, quū vel fortiſsimus vir ciuitatis C. Piſo legem de ambitu ferret, vel M. Tullius reſtituendam curaret ſumma contentione, ludibrio læſum iri digni-

tatē populi Romani. quæ si vel ijs tam chara esset quàm solent prædicare qui primo quoque verbo Patres patriæ, custodes libertatis, cōseruatores fortunarum nostrarum appellari volunt, nunquam profectò L. Murena consul nisi saluis legibus renũtiatus ac defensus fuisset. FA. Estne in tua bibliotheca illa oratio? CA. Est certè, cum alijs eiusdem scriptis excusa. nam & alias quasdam orationes reliquit, & quatuor libros epistolarum: necnon de animorum immortalitate libros tres carmine hexametro. FA. Eum cras ad me mittas velim. CA. Mittam. FA. Nunc autem ad secundã rem venito, in qua iudicio caruisse Nizolium, quum Obseruationes suas scriberet, dicis. CA. Magis laboro ne quampiam earum omittam (quoniam Nizoliano Marco gratificari cupio) quàm vt certum ordinem teneam. Sed antequam ad secundam veniam, duo ad primam pertinentia adiiciã. FA. Quæ sunt ea? CA. Vnũ est id de quo antea diu multúmq; sum cōquestus, quòd non contentus vocabula multa ex aliorũ quàm Ciceronis epistolis afferre, & cum Ciceronianis confundere, etiam quæ sunt ex carminibus veterum poetarum, qui à Cicerone passim citantur, illis permiscuit: neque interim de hac farragine lectorem

commonefecit. nisi fortè in illa Italica editione aliqua est hac de re admonitio quę me latuerit. FA. Alterum autem quod est? CA. Quòd inter illa quæ ab ipso Cicerone vel ποιητικῶς (vt in Arateorũ phænomenωn interpretatione, & in alijs quibusdam versibus, vel ἀρχαϊκῶς (vt in libris De legibus) dicta sunt, & inter cætera eius verba & loquēdi genera nullum discrimen ponit. FA. Horum vtrunque ad eam rem quam proposuisti primam, pertinere & ipse existimo. Ad secundam transi. CA. Secunda res ob quam meritò quilibet iudicium in Nizolio desideret, est locorum falsã citatio, vt ita loquar. Hoc autem quum dico, non intelligo, locũ ab eo vnum pro alio citari (quod & ipsum tamen verè à me dici posset) sed afferri aliud verbum quàm quod apud Ciceronem legatur: quanuis testimonio eius quem affert loci vsum illius verbi quod proponit, velit confirmare. Ex ijs autem quædam ab Henrico Stephano enumerari scio in dialogo quem inscripsit Pseudociceronem. ea autem sunt, *Capitulum*, *Facetosus*, *Multissimi*, & quædã alia. sed illum multo plura quàm attulerit, afferre potuisse dico, si plus temporis euoluendo Nizolij operi impendere voluisset. ea saltē quæ antea cōmemoraui addere potuisset,

Maleficiosus, *Cohærarius*, *Æquilibralitas*, & reliqua. MAR. Quid? an etiam ipsa exẽplaria Nizolium præstare oportet? eiúsne culpa factum est quòd in deprauatos libros inciderit? CA. Hoc ego nequaquam dixerim: non adeò sum iniquus iudex: sed si non defuisset Nizolio iudicium, non defutura illi fuisse meliora quàm quibus vsus est exemplaria dico, quod ad quosdam saltem locos attinet. FA. Video paratum esse Marcum hãc de exemplaribus altercationem persequi: sed tu eius verbis aures occlude, & quæ sit tertia res ob quam iudicium in Nizolio, id est in Nizolij Obseruationibus, desiderare debeamus, expone. CA. Non vna certè res superest, sed plures. primùm enim in eo reprehensione est dignus quòd Ciceronis locos qui eiusdẽ quidem vocabuli vsum, sed in diuersis significationibus ostendunt, permisceat. Deinde (qua in re multo periculosius ab eo erratur) quòd pro synonymis ponit quæ tantũ abest vt synonyma dici poßint, vt etiã valde diuersam significationẽ habeãt (cuius erroris plurima exẽpla protuli) interdum verò vicißim pro contrarijs quæ contrariam significationem non habent. Postremò, quòd multæ expositiones planè esse falsæ (& harum quoq; non pauca exẽpla vidimus) nonnullæ sermone parum La-

tino, nedum Ciceroniano, alicubi Ciceroniano quidem, sed planè alium in sensum detorto, scriptæ comperiuntur. nam & de hoc queror in Obseruationibus Nizolij, quòd plerunque dum metuit ne à Cicerone discedat, & non aliter quàm Ciceronianè vult loqui, ineptè Ciceronis verba vsurpat, in alium omnino sensum (vt dixi) detorquens. veluti quum in earum principio (optimè memor scilicet illius prouerbij aut saltem præcepti Pindarici, *ἀρχομένου δ' ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές*) *effata* vocat quæ vulgò Loquendi genera, aut Loquendi formas, vel Sermonis formas aut formulas appellamus. Postquam enim ista attulit, *Ab aliquo facere*, *Cum aliquo facere*: *Ab aliquo stare*, *Cum aliquo stare*: *Ab aliquo esse*, *Pro aliquo esse*: *Ab aliquo dicere*: addit, *Hæc atque alia si qua sunt huius generis effata, hanc habent uim ac sententiam ut si dicere Adiuuare & defendere aliquem, uel Causam alicuius defensionémque confirmare.* FA. Ineptissimè profectò & valde ridiculè voci *Effata* vsum illum tribuit. CA. Illam autem expositionem, *Causam alicuius defensionémq; confirmare*, qualem esse dicis? FA. Quo eam nomine aptius & verius appellare possim quàm si dicam esse verè Nizolianã? MAR. Proh, quàm seuerè in Nizolium pergis in-

quirere, Camille, vt te non immeritò iudicium in illo desiderare ostendas. Ego verò ad illud tantùm nunc respondebo, quòd dixisti Nizolium non contentum vocabula multa ex aliorum quàm Ciceronis epistolis afferre, & cum Ciceronianis confundere, etiam quæ sunt ex carminibus veterũ poetarum, qui à Cicerone passim citãtur, illis permiscuisse: neque tamen lectorem de hac farragine (ita enim ipse valde odioso nomine appellas) admonuisse. Ego enim illum, in illa editione Italica, statim initio Indicis seu explanationis notarum siue verborum quorundam amputatorum, quibus singula Ciceronis opera in illis Obseruationibus citantur, dico præmonuisse, has notas, Ci. Ep. significare, *Cicero in Epistolis, quæ familiares nocantur*: & addidisse, ex quo volumine nonnunquam etiam citantur epistolæ infrà scriptorum autorum, Bithynici, D. Bruti, A. Cæcinnæ, Cassij, Catonis: aliorúmque nomina his subiunxisse. De poeticis autem vocabulis quæ inseruisset, quum facilè internosci possent, quid monere opus erat? C A. Hæc de variis variorum epistolis illum fronti suarum Obseruationum præfixisse, nec tibi nunc nego, nec certè antea negaui, vt opinor: sed an putauit lectores suos fore OEdi-

pos? ita vt in singulis vocabulis aut loquẽdi generibus quæ horum cuipiam peculiaria essent, ea non Ciceronis sed huius vel illius esse, coniectura vel potius diuinatione assequi possent? Ad ea autem vocabula quod attinet quæ ex veterum poetarũ aut etiam ipsius Ciceronis carminibus sumpta sunt, nonne lector, vt ab ijs sibi caueret, admonendus, si non singulis in locis, saltem semel & simul, sicut de illis varijs variorum epistolis, fuerat? Sed hoc itidem à Nizolio factũ fuisse fingamus: an cuiusuis lectoris esse putas poetica internoscere, & ab ijs sibi cauere? Cuiusuis fuerit fortassis qui apud Nizolium *Induperator*, ex Cicerone De diuinatione leget, animaduertere hanc epenthesin esse poeticam: quotusquisque autem alia quamplurima, quæ tamẽ nõ minus sunt poetica, internoscere poterit? nũc enim de lectore discipulo Nizolij loquor: cúmque à Nizolio immerentem vapulaturum fuisse dico, quòd verbis alioqui poeticis locum in sua oratione soluta dedisset. FA. Sed quid si plus quàm seipsum iudicio valere, plus quàm semetipsum sapere discipulos suos voluit Nizolius? CA. Quàm iniquum esset hoc à discipulis postulare vt plus ipso magistro saperent. FA. Quid? nõ meministi versus Græci? Non dubito certè

quin memineris iampridem prouerbio iactatum esse,

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.

quò allusisse puto Iuuenalem, quum dixit,

-meliorem præsto magistro Discipulum.

CA. Illius Græci prouerbij recordor, à Cicerone vsurpati: sed ego τῶν γνωμένων διδασκάλων, nō autem τῶν ὄντων, & semper intellexi, & nunc quoque, intelligo. FA. At ego in ijs quæ ad Nizolium & totā Nizolianam nationē pertinent, omnia se aliter quàm apud cæteros mortales habere puto: adeo vt quod de alijs incredibile mihi esset, vtpote pręposterum, de Nizolio & quibusdā Nizolij discipulis credibile futurum sit,

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλου,

& quidem τοῦ ὄντος διδασκάλου. Sed quum Nizolianus noster Marcus, & Nizolij defensor acerrimus, se tandem hinc proripuerit, vel (vt Plautus loquitur) se nobis surripuerit, ne cum laruis, aut tanquam laruæ cum mortuo luctari dicamur, huic sermoni finem imponamus. CA. Id me lubente fiet, vt eundem comicum loqui memini.

FINIS.

